71

531.2

SIMONIS PORTII NEAPOLITANI DE HVMANA MENTE DISPVTATIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

FLORENTIAE

Apud Laurentium Torrentinum.

M D L I.

Digitized by Google

Digitized by Google

SIMON PORTIVS MARIANO SAVELLO

S. D.

QVAMQVAM caſu quodam, uel potius, ut Græci dicunt ἐυτυχίᾳ Ioannes Baptiſta, pater tuus, uir omni nobilitate, prudentia, ac fortitudine illuſtris, iampridem in ſuam me amicitiam receperat: tua tamen ſingulari humanitate, morum ſanctitate, & ſumma ad ſtudia noſtra propenſione, tantum noſtræ neceſsitudini acceſsiſſe uideo, ut ui quadam amicitiæ, idque uel ob id maxime, quòd philoſophiam noſtram unicè amplecteris, plurimum me tibi debere ſentiam. Quare cùm ad Ariſtotelis de anima tractationem, quæ Peripateticis omnibus nobiliſsima ſanè, ſed obſcuriſsima pariter, ac ſenti coſa ſemper habita fuit, propius accedere optimo conſilio te inſtituiſſe animaduerterem: putaui ad eam planè conſequendam non parum profuturum, ſi aliquid è noſtris lucubrationibus, quod quaſi uiam ſterneret, atque in tanta opinionum controuerſia aperiret, monſtraretque, cui nam adhærendum eſſet, explicatum adiungeretur. Itaque ſuperioribus diebus, cum podagra mea inducias pactus, de mente humana diſputationem abſolui; ut tibi ceu follis quidam natatorius eſſe poſsit, quo innixus ex hoc præalto, ac penè immenſo gurgite, cui ſuum inſperſit atramentum Ariſt. emergere queas, multos quippe audies Auerroicos, Simplicianos, & Themiſtianos, qui authoritate magis, nomineque philoſophi ſuam ſententiam adſtruant, quàm eam uerborum Ariſt. fide confirmare conentur. Taceo Latinos, quorum ſtudium perpe-

Digitized by Google

tuum eſt, ut contradicant, atque ab alijs ſemper diſſentiant: fuerunt tamen ex illorum grege aliqui, qui in foribus ueritatis ſubſtitiſſe uidentur. Ego igitur, quantum per breue temporis ſpatium licuit, rem planius explicare conatus ſum, & quodcunque id ſit, quod præſtiti; & ut mei erga te amoris, gratique animi imaginem agnoſcas, tibi nuncupo.
Vale. ex Academia Piſana.

Digitized by Google

SIMONIS PORTII, DE MENTE HVMANA PRAEFATIO.

ET SI homines communi omnium gẽtium, apud quas de Diis eſt aliqua perſuaſio, & fides, conſenſu, vel potius voce quadam Naturæ, humanum animum æternum eſſe arbitrentur; Ariſt. tamen, vir miræ eruditionis, ac ſummæ pietatis, dignitatem hominis augere, ſimul & principia naturalia optimo conſilio non labefactare cum inſtituiſſet; inter extremas, ac diſſentientes ſententias, mediam proprio ingenio inuenit viam, quam in omnibus ferè rerum naturalium tractationibus, eſt ingreſſus: nam vbi rerum ortus, ac interitus pertractat, ſimul atque eorum qui cuncta generari aſſerebant, atque ex aduerſo, illorum qui nullis generationibus obnoxia eſſe placita ſuſtuliſſet, demum aliqua oriri, interireque, & aliqua contrà æterna perdurare, certiſsimis rationibus demonſtrat. Hac quoque ratione, ac via de animo hominis agẽs, eum nec omnino æternum eſſe; nec penitus aboleri edocet, ſicque factum eſt, vt aliquid in homine eſſe diuinum deprehendatur, quo is Natura duce, cæteris animantibus præſtantia, ac nobilitate anteeat; nec quicquàm, quod ſenſibus aduerſetur, decreuiſſe conuincatur: cum nemo ſit, qui non iudicet, hominem ancipitis eſſe naturæ. Quod illis non

Digitized by Google

accidit,qui hominis animam æternam, nec vllo vnquàm tempore defecturam eſſe defendunt,ſi quidem præterquàm quòd plurima cum ſenſibus,à quibus Peripatetici naturalia petunt principia; & ad quos ceu veritatis optimos cenſores, omnis naturæ cognitio defertur,pugnantia (quod Ariſtoteles quauis abſurditate abſurdius eſſe cenſet) proferunt: philoſophandi quoque genus minime naturale ſectantur, quandoquidem naturalia fundamenta,omnium penè firmata comprobataque teſtimonio,diruunt:& naturalem cognitionem ex ordine ſcientiarum eximunt, dum eam parum firmis niti principiis oſtendunt,Velut paulò poſt prolixius ſignificabimus. Rurſus, qui funditus eam delendam eſſe aſſeuerant,vt nihil ſupereſſe poſsit: hominis nobilitatem euertunt,nec quicquam eum cum Diis habere commune perſuadent, quod non modo Ariſt. verùm etiam rationi à ſenſu profectæ reluctatur. Vt taceam,quòd ne ipſi quidem certa naturæ principia inſequantur. Itaque, vt ratio à ſenſibus,à quibus philoſophia ſuum mutuatur argumentorum robur non diſsideat;nec quicquam male tutum obtrudatur;& controuerſia denique omnis è medio tollatur,operæ precium nos facturos eſſe duximus,ſi methodum Ariſtotelis, qua in libris de Anima vtitur, hoc noſtro opuſculo explicaremus, eam enim Græci interpretes ne primoribus quidē labiis, vt equidem iudico, attingere potuerunt.Quare cum illis in arenam deſcendemus, atque Ariſt.ſui memorem ſecum non diſſentire confirmabimus,ſi prius nominum quorum inter diſceptandum frequens occurret vſus,ſignificata inueſtigauerimus.

Digitized by Google

Quid ſit ἐντελέχεια. *Cap. I.*

QVoniam ad perſcrutationem rationis animæ, nominis ἐντελεχείας appoſita interpretatio, nō parum confert (quòd Latini, cum Græcis Ariſtot. expoſitoribus de eius etymologia digladientur) iccirco inde exordiendum. Inquit igitur Ariſt. Animam eſſe ἐντελέχειαν corporis, quod eſt, vt Latini noſtri verterunt, actum corporis. Hanc rationem cùm magnus ille apud Græcos Theologus Gregorius aliquando legiſſet; animum humanum ex Ariſt. ſententia defecturum arbitratus eſt, nullo ſanè alio argumento, quàm quòd ab illo appellaretur Entelechia. Alexander in ſuo libro de Anima, quem ad Ariſt. exemplar inſcripſit, entelechiam, perfectionem, & finem illius, cuius eſt entelechia, interpretatur. Inde ergo aperte habes, entelechiam eſſe primam perfectionem corporis. At Philoponus entelechiam, παρὰ τὸ ἓν καὶ, τὸ τέλειον καὶ τὸ συνέχειν, ideſt, quod perfectionem & vnionem contineat dici arbitratur. Themiſtio vero eſt habitus perfectionis; & Simplicio ſignificat in perfectione habere eſſentiam. Omnes igitur de prima perfectione Ariſtotelem ſentire opinantur. Grammatici (inter quos eſt Heſychius) entelechiam pro energia accipiunt; & eo ſignificatu non ſemel in Platone legitur. Hinc quàm plures Latini animam eſſe perpetuam motionem dixerunt, quinetiam ſi Latini ſermonis ſinceritatem ſectemur, aiunt; optimo conſilio antiquus interpres, animam eſſe actum reddidit: quoniam actus actionē denotat. Sed hæc interpretatio Latinorum totam Ariſt. definitionem confundit, & ab eius ſententia penitus abhorret. Primum quidem, ſi anima vt di-

Digitized by Google

cunt, eſſet continuata motio, anima ſanè non eſſet principium motionis, quòd in vnum hæc non recidant, principium, & effectus; miniméque eſſet actio, & agendi facultas, nam quod Megarenſibus Ariſtot. obiicit libro IX. Scientiæ poſt natural. in ipſum retorqueri poſſet. Si enim anima eſt facultas, qua viuimus, ſentimus, ac ſapimus, vt aperte ipſemet docuit: ſi eſſet continuata motio, vna met res, & potentia, & actio foret. quare quādo periret actio, puta vidēdi, & potentia ipſa qua videmus, aboleretur, hincque ſequeretur non mediocre incōmodum, quòd ſępius eodem die, animal eſſet videns, & cæcum, animáque ipſa abeſſet, & adeſſet; nec ſubſtantia animalis, ſed accidens ipſa neceſſariò vocanda eſſet. Dicamus itaque duo eſſe nomina præcipuè in libro de Anima attendēda, ἐντελέχεια, & ἐνέργεια. Entelechia peculiari ſignificatione, perfectionem, & finem poſtremum per motionem partum, ſignificat Ariſtot. ipſaque forma quæ vt motum terminat ac finit, à Græcis ἕξις, & nobis habitus dici ſolet, quòd ſcilicet permaneat, nec vltra fluat. nam vt perbelle libro primo de Gen. notauit Philoſophus, cum habitus fuerint in materia præſentes, deſinit motus, quòd ſuo fine iam potiatur. Totum ergo illud volens Ariſt. vno nomine cōplecti entelechiam dixit. Verum, & ſi motus dicatur ſubiecti mobilis entelechia, quia tamen non eſt completus, ſed mancus actus, nec habitus, ac permanens ſimul; ob id non verè, nec propriè nominabitur entelechia, nudè & citra adiectionem, ſed entelechia entis in potentia; vt à vera entelechia, quæ eſt entis in actu, diſcriminetur. In vſu eſt Philoſophis & aliud nomen, ἐνέργεια, quo actionem, & functionem ſignificant, ſiue illa motio ſit ad formam conſequendam ſiue finis, gratia cuius

forma

Digitized by Google

forma genita eſt. Atque hac ſanè ratione motus, vt eſt opus mouentis,& à mouente profluit,dicitur ἐνέρ-γεια & actio;vt verò rei ſubiectæ inditur à mouente, paſsio à philoſopho nominatur,lib. Phyſicæ auſcult. III. Motui itaque,& energia & entelechia iure aptatur;ſed entelechia,vt eſt perfectio quædam;& energia, vt actio. quare ſi Latini ſermonis veritatem inſequimur, actus, cum actionem ſignificet, verius de opere,quàm de forma dicetur: & entelechia, rectius de fine motus,quàm de motu,Latinus interpres antiquus,pro perfectione actum accepit. Sed ſi accuratius rem excutias,forma multis donatur nominibus: nam prout ad motum diuerſam denotat habitudinem,vt eſt quidem forma, Finis habitus per motum appellatur; & hoc pacto dicitur entelechia: vt verò eſt principium vnde motus proficiſcitur, Natura: dùm autem fluit, Motus: ſed vt eſt actio mouentis, energia;vt deniqueeſt quædam perfectio illius,quod mouetur,entelechia a Philoſopho nuncupatur.Hæc ſanè nobis innuit Ariſt. libro. IX. ſcientiæ metaph. qui octauus eſt Græcis,dum inquit. Venit autem nomen energiæ,quod entelechiæ conuenit,& aliis maximè ex motibus,affertq́ue rationé,videtur enim maxime motus eſſe actus, ideſt energia,hinc habes energiam conuenire motui;& ipſi entelechiæ à motu accedere.Actum itaq. & pro perfectione, & pro actione vſu venit philoſophis intelligere, vt in naturalibus,ita etiam arte factis. Cæterùm quod dictum eſt, à motu formis competere, vt energiæ dicantur, ſic oportet intelligere, quòd dum fiunt, energiæ ſunt, hoc enim ſibi vult,vbi ſubdit, vt cum motu componuntur,hoc eſt dum mouentur, & fluunt,nam cùm primum abſoluitur earum generatio,non amplius cũ

Digitized by Google

motu componuntur, nec energiæ, ſed entelechiæ nominantur. Intellectus itaque, qui eſt ἐνέργεια & à Latinis dictus faciens, quòd omnia faciat, non eſt entelechia, quum non ſit finis motus, nec perfectio mobilis, ſed actio nobis extrinſecus accedens, & hac ratione Philoſophus energiam vocauit, & non entelechiam. Intellectus autem δυνάμει, ideſt potentia, non eſt energia ante ipſum intelligere, nec entelechia, cũ non ſit actus corporis, nec ſubſtantia, nec forma, verùm facultas humanæ animæ, qua anima ſapit, ac intelligit, eſt igitur facultas, & non entelechia, nec energia ſua natura, vt paulò inferius explicabimus. Nec idem ſignificant intellectus, & anima rationalis, vt pluribus adriſit, quandoquidem anima, eſt forma, & corporis perfectio: at intellectus, eſt potentia, & facultas, qua anima ſapit, & intelligit, ob quam anima humana rationalis dicitur, & intelligens, non enim rationalis nominatur, eo quòd tota ſit ratio, & intellectus: ſiquidem omnis eius facultas, & omnis pars eſſet intellectus, & ratio, quod rei non reſpondet, nec cõuenit; nam alia eſt facultas, qua vegetamur, & viuimus; alia, qua ſentimus. Non igitur tota eſt ratio: ſed quòd ea cunctis facultatibus præſtet, longeque nobilior ſit cæteris, & mortalium animalium vni homini tributa; iccirco omnis humana anima rationalis dicitur, & à poſtrema facultate nomen ſibi ſumit & ab aliis ſecernitur. De hac itaque facultate, quæ intellectus potentia à Peripateticis appellatur, inquirere inſtituimus, æterna, ne ſit, an corruptioni obnoxia. Et quoniam huic dubitationi conſultò atramentum Ariſtot. adſperſiſſe multis nobilibus philoſophis placuit: adeò, vt ab eodem fonte, & eiſdem verbis, æternitatis eius & interitus aſſertio ortum habeat; ne in tam

vaſto gurgite contrariis ventis agiteris, hanc tracta-tionem aggreſsi ſumus.

Quæ fuerit Ioannis Grammatici opinio. *Cap. II.*

AMmonius Alexandreus, Ammonius Hermeas, Olympiodorus, Aſclepius, & Ioannes Grammaticus, qui ſcholæ Alexandrinæ præfuerunt, & philoſophiam profeſsi ſunt, à voce primi Ammonii Alexandrei, animam mentemque humanam ab omni corruptione immunem eſſe vno omnes quidem conſenſu mordicus defenderunt. At Ioannes Grammaticus, vtpote Chriſtianus, apertius id explicauit. A' Deo enim creari animã humanam aſſerit, & formato, atque organis diſtincto corpori inſeri. Nam, vt ipſe ſentit, primum virtute quæ ineſt genituræ craſsities illa in corpus viuens vita plantæ, abit, ſibique alimentum præſtans, paulatim increſcit: Elaborato autem magis corpore, ſanguis quoque attenuatur, & purior fit, atque è ſubtiliſsima quidem portione ſanguinis enaſcitur, quæ à philoſophis ſpiritus appellatur. defecatus ſanè à priori illa craſsitie, ac feculentia corporea. Huic, vt peculiari ſubiecto, ineſt facultas ſenſiua, quæ ſanè eſt, veluti extremum fundamentum recipiens animam rationalem, poſtremum animato iam corpori extrinſecus aduenientem. Sunt itaque in homine tres animæ tota ſubſtantia diſtinctæ; quarum duæ priores cum corpore abolentur, rationalis autem ſuperſtes relinquitur, & ad loca ab æterno à Deo prouiſa, ac parata, vt malè actæ vitæ pœnas luat, abeat; aut ad ſuam ſtellam comparem vbi fœlicem vitam ducat redeat. Sed cum anima incorporea quædam ſit ſubſtantia, & à corpore haud patia-

Digitized by Google

tur,ſi ad infera loca deſcendit,ſpiritu ſubtiliſsimo ve ſtitur,vt ſimilibus, vel eiſdem affectibus quibus antea in vita,torqueatur,ſic igitur affecta ad loca pœnarum ruit, & ſecum diſsidentibus perturbationibus agitatur;nempe ſi cupiditate,dum aura fruebatur irretiebatur, dolore iam contabeſcit, ac igne ab his maculis expiatur;donec abſumpto corpore,ab omnibus animi perturbationibus abſoluta, in cœlum euolet.Cæterum per longa ſæcula hæc expiatio durat,& interea temporis ſub variis figuris circum ſepulcra, ſe offert hominibus : nutriturque aëreum illud corpus vaporibus,quos veluti ſpongia attrahit,& combibit,corpore verò euaneſcẽte,nullibi apparet,ſicque à pœnis liberatur.Hæc Grammaticus.

Sententia Ioannis Grammatici reiicitur. *Cap.* III.

SI cum phyſico diſputationem propoſitum eſt inire, Theſes, & fundamenta communia eſſe debent:quòd iis ſublatis,cum eo rationes exquirere non debeamus illius diſciplinæ, cuius principia aduerſarius demolitur,ac deſtruit, nec in arenam cũ eo vlla ratione deſcendere: nam qui quæſo tandem illi patrocinari, aut defendere poſsis ; cum principia ex præſcripto ſcientiæ non liceat tranſilire,idque vel ex ipſo nomine principii facere prohibeamur ; niſi aliis altioribus veritatẽ iis adſtruere velimus. Quòd cùm Ioan.Grãmaticũ in hac ſua de Anima ſententia & alios,qui cum illo conſenſerunt,philoſophos facere videamus : eos certè naturales non appellabimus, cum ne Geometram quidem eum qui principia Geometriæ demolitur appellare liceat.Nam cum hi Philoſophi phyſica pronuntiata cum ſanctiſsimis,& veriſ-

Digitized by Google

ſimis noſtræ religionis decretis confundant: quod in de colligunt, ac concludunt, nec religioſum, nec phyſicum, minimeque cum rebus ipſis reſpondens fuerit: optimo igitur iure eiuſmodi ceu nō naturales philoſophos ſchola Peripatetica reiicit. Sed vt hæc tibi nō abſque ratione dicta appareant, illorum præcipuum fundamentum expendamus. Primum in quo robur, & totius opinionis ſtabilitur ratio, eſt, Deum humanam animam, nullius alterius cauſæ, nec materiæ, nec inferioris efficientis, interuentu creare. Quod quidē placitū, nec phyſicū, nec ſuperioris, ſcientiæ quā poſt naturalem dicimus, eſſe, ponendum eſt. Phyſicū ſanè nullo pacto cenſendum; quoniā ex nō ente, hoc eſt ex eo, quod non eſt, nec actu, nec potentia (quod Latini ex nihilo dicunt) non fit aliquid per ſe, nec per accidens: nō per ſe, quoniā cōmuni cōſenſu eorū qui naturales rationes tractarūt, ex nihilo fieri nihil poteſt. Quod enim in lucem venit, operæ precium eſt, vt priusquàm fiat, fieri aptum natū ſit, vt fiat, nam quod eſt aptum fieri, poteſt fieri: quod autem fieri nequit, non fit; quod igitur poteſt fieri, eſt in potētia, vt fiat. Atqui hoc quod in potētia, eſt vt fiat, cùm in ſuis cauſis, à quibus ortum habet comprehendi debeat; aut erit in ſubiecto, & materia, quod illi negarunt, quòd nulla alia intercedat cauſa in creatione animæ præter Deum. Aut opòrtet illos fateri, quod faciunt, eſſe aptum fieri, ac in potentia, vt fiat & producatur, in ipſo agente Deo. Quòd ſi hæ duæ facultates vndiquaque diſcrepantes, & diuerſæ erunt in Deo benedicto, nempe potentia vt faciat, & creet; & potentia, vt res creetur, quæ cùm ſit aptitudo ad eſſe, paſsionem nobis ſignificabit. In Deo igitur erunt diuerſæ rationes, & patiendi, & agendi, quod quantum à Phi

Digitized by Google

loſophis abhorreat,non eſt qui ignoret.In Empedoclem enim inuehitur Philoſophus libro Poſt naturalem XII. quòd amicitiam, quam cauſam agentem faciebat,ſimul eſſe materiam diceret:idque tanquam abſurdiſsimum notauit. Quamobrem diſſentientes eſſe cauſæ, & extremæ, materia, & agens ponendæ ſunt:vt ab vna quidem res habeat potentiam,cur generetur,recipiatque eſſe:ab altera in lucem,& actum deducatur. Aduerſatur igitur hic modus generandi, quam creationem dicimus,cũctis rebus naturalibus: quandoquidem quicquid generatur,& in actum venit,è ſubiecta materia in actum depromitur vi agentis,ac materiam agitantis. Quare ſi creatio conceditur,tria oriuntur incommoda.Primum,non eſſe naturalium rerum principia,affirmare neceſſum erit,deficiet enim,deperibitque materia,& priuatio erit per ſe vnum principium.Hinc & ad aliud abſurdum delabimur,nempe, vnum contrarium, alteri ſubiici. ſi enim vnum alterius eſſet materia, aperte diſsideret contrariis qualitatibus,Album enim nigrum non recipit, nec illi ſubeſt: ſic nec frigidum calido ſubſternitur: longeque minus rationi, ac ſenſibus conſtat, quòd priuatio formam ſuſcipiat.Si igitur è medio tolleretur materia,contradictoria ſibi inuicem ſubiicerentur, quæ omnia prima fundamenta philoſophiæ demoliuntur, quare cum his in philoſophia non eſt diſceptandum. Sed qui huius rationis perſcrutationem deſiderat longiorem,quæſtiones noſtras Poſt naturales legat,in quibus rationem hanc ad viuum diſcuſsimus.Nec minus tertium aliud principium eneruatur, hac poſita creatione in naturali philoſophia, qua aſſeritur,animã oriri,& nunquam occidere,nanque id refragatur Ariſt.libro primo de Cælo docenti,

omne quod ortum habet,aboleri neceſſariò. Ruit & quartum naturale fundamentum, finem, ac formam ſeiungi à ſuo peculiari ſubiecto quod cum ſpecie cõpoſitum conflat,quo quidẽ fundamento libro IIII. Phy.Ariſt. locum non eſſe veram ſpeciem demõſtrauit,quandoquidẽ ſpeciebus omnibus materiam complentibus proprium eſt à ſuis materiis non ſeparari; quare ſi abolentur,mors,non autem ſeparatio vllo pacto appellanda erit. Hinc funditus euertitur firmiſſimum aliud principium,compoſitum non fieri quod eſt vnum ac totum,formam vero per ſe generari,cuius oppoſitum ſexcentis in locis nos docuit philoſophus,ſed ex inſtituto lib. XII. Poſt natural. ſcientiæ habet formam ſi daremus per ſe generari, in immenſas formas ratio nos duceret, quoniam ex priori alia forma fieret,vt ibidem probat Philoſophus, ſi itaque anima crearetur per ſe ſubſiſteret,ſepararetur, & per ſe produceretur,quæ omnia purgatiſsimis Peripateticorum auribus indigna ſunt.Sed vide alterius quoq. principii certam ruinam. Cùm anima ſeiungitur à corpore,in aliquo recipitur loco; ſed anima indiuiſibilis ſubſtantia eſt:igitur aliquod indiuiſibile moueri,fateri neceſſum erit, aut commentitiis mutationibus,vt Latini,ſibi finxerunt ſubiici concedẽdum eſt. Quod aperte philoſophus oppugnat lib. VI. Phy. auſcul.in quo omne mobile,eſſe corpus planè demonſtrauit. Ad hæc qui ita ſentiunt, funditus euertunt quartum librum Phyſicæ auſcult. cum dicunt. Aliquod eſſe in loco quod incorporeum eſt, quum perſuaſum ſit omnibus phyſiologicis,corpora in locis recipi.oportebit igitur in alio,præter cælum , ac naturalem locum, ſpiritus iſtos deſcriptos eſſe, & definitos.Adhuc ridiculum eſt, hominis ortum, & interi-

tum longe diuerſum à cæteris animantibus ſtatuere. Etenim vno,& eodem libro,qui de Generat.animal. inſcribitur,hominis,& cæterorum animalium ortus & interitus complexus eſt,quòd omniũ æqua ſit con ditio, atque idem gignendi & occumbendi modus. Sed ſi ea quæ ipſi proferunt,admitteremus in philoſo phia,'aliud de generatione hominis opuſculũ Ariſt. deſideraretur,deinde hominem duæ eſſent generãtes cauſæ,Pater qui materiam ſuppeditat,& Deus, qui ſpeciẽ indit, nec homo vnus eſſet, duo enim actu ad coagmentationem hominis coirent,cùm tamen non ſemel præceptum ſit,idem eſſe,& vnum principium, quod materiam præparet,& agitet ita vt forma in lu cem prodeat. Sed omnem ſuperat admirationem, quòd anima cùm à Deo Optimo Maximo creata ſit ab omni affectu immunis,intelligentiis æqualis,nullam cum materia rationem habens, ita præcipitetur, ac veluti in cæcum carcerem detrudatur? quandoqui dem omni ex parte à natura abhorret æternum fluctuanti materiæ,& diſsidentibus qualitatibus conne cti, ſua depoſita perfectione. id enim nullis rationibus naturalibus innititur.Poſtremo vt in philoſophia è iuuenum ſtudioſorum mentibus obliteretur, quod nõ ratione, ſed fide verum eſſe & Chriſto referamus acceptum accipiendum eſt, mundum ex Ariſt. præceptionibus æternum eſſe.Sed ſi cuilibet homini pro creata eſſet anima; infinitæ utique eſſent, & numerus infinito daretur infinitior, idemque numero aliquando ad nos rediret homo, quæ ſanè cum nulla abſurditate ſunt comparanda. Optima igitur ratione philoſophos Alexandrinos, non naturales Peripateticus nominabit. Hæc ſit noſtræ diſputationis cum Ioanne Grammatico,& aliis ita cum illo ſentientibus

prima

prima pars: quam quantum huic propoſito ſatis facit, infirmauimus. Venit iam diſcutienda altera pars huius opinionis;quæ(vt mea fert opinio)nihil,quod Ariſtotelem redoleat, cõtinet. Siquidem animas tres ſubſtantia diſcretas in tribus ſubiectis propriis in homine conſtituit; quo nihil abſurdius in philoſophia,nihilque quod magis cum Ariſtot.diſſentiat,defendi poteſt. Sed nulli mirum videri debet, quoniam vno incommodo dato,innumera ſequi ſolent, vt perbellè philoſophi docuerunt. Quærendum igitur eſt ex homine hoc leuiſsimo, ſi animæ in homine ſunt actu tres,quo nam glutino inter ſe cohærent, vt vnũ animal componant? hoc enim percunctatus eſt Ariſtoteles Platonem lib. I. de Anima. Quod ſi vegetalis eſt actu ſeiuncta à cæteris animabus in homine, adeò vt ipſa in craſsitie,& corpulentia ſubiecti, in ſpiritu verò ſenſiua,rationalis autem in animato corpore locum ſuum obtineat; partes animæ non erunt ſecundum rationem diſcretæ, vt non ſemel docuit Philoſophus: Sed partibus corporis ſecernentur, non quidem organicis, vt priores philoſophi ſenſerunt, ſed ſimilaribus; quo nihil leuius, ac rudius cogitari poteſt. Siquidem quoniam ad functiones exercendas vtuntur organicis partibus;non eſt ſanè abſonũ, nec à ratione abhorrens,ſi partes animi,quas facultates Ariſt. nominat,in ipſis organis (quod antiquiores fecere,) conſtituantur. Sed vt in partibus ſimilaribus noſtri corporis tanquàm in propriis ſubiectis,facultates diſponantur, nulla ratio,nec ſenſus perſuadet. nam vt vegetalis vtitur organis,iocinore,& ventriculo,vt præparent alimentum cæteris partibus:ita quoque de aliis ſentiendum eſt. Duos igitur errores committit Philoponus: Primum, quòd in diſtinctis

partibus ſimilaribus animas collocat: alterum quòd nobis non explicat quo nam vniantur, vt vnum animal conſtituant. Ariſt.libro de Partibus animalium, & in opuſculo de Longit:& breuit. vitæ,in vno ſubiecto,puta corde,has omnes facultates innaſci tradidit: Vnamque aſſeruit eſſe animæ ſubſtantiam, quæ has facultates potentia in ſe complectitur,nō aliter quàm in circulo quadratum, & triangulum contineri docuit Euclides.Rationalis enim anima potentia,& virtute ſenſiuam, & vegetalem;ſenſiua verò,vegetalem continet: quòd in ſuperiori inferior, qua amplior & capacior eſt contineatur. Atque his dictis rationem addidit Philoſophus eodem libello, quoniam ſi, vt Ioannes,& Antiquiores crediderunt, eſſent loco, & ſubiecto diſcretæ, poſſent vtique vna corrupta, aliæ remanere;& hoc pacto eſſet ſuperſtes anima ſenſiua, corrupta vegetali.non nutriretur igitur,ſed ſentiret, non eſſet vnum animal,eſſetq. actu planta.Nec de iis quærendum erat philoſopho, an ſint, vel poſsint eſſe animæ,vel partes; quia ſemper eſſent animæ,& non animæ partes. Amplius, ſi ſpiritus eſſet ſubiectum ſenſiuæ animæ, eſſet vtiquæ corpus animatum ſpiritus;nec anima,vt docuit Philoſophus,eſſet forma organici ſed ſimilaris corporis. Hinc aliud abſurdius oritur,ſanguinem quoque animatum eſſe actu,quoniam ſpiritus ſubtiliſsima pars ſanguinis eſt, quod penitus cum Ariſt.diſſentit libro de Partibus animalium.Nec audiendus etiam eſt Ioannes,quòd corpus præditum anima ſenſiua ſit ſubiectū rationalis, eſſet enim accidens rationalis anima; nec homo ab anima rationali eſſet animal,igitur nec homo. Illatio planè euidens eſt. Etenim ſi ſuperior inferiorem animam, vel partem eius continet;vt iam ſuperius patuit,cùm

n iviuentibus corruptioni obnoxiis non ſit alia anima rationali perfectior, apertè profectò, iacto hoc ceu ſundamento colligimus, rationalem animam, quùm ſit principium, quo intelligimus, & id quo ſentimus, non igitur diſcretis principiis homo eſt homo, & animal & viuens; ſed vna eſt anima, diuerſis tamē prædita facultatibus. quòd ſi mihi quis obiiciat, ob id, quòd ſenſus eſt potentia, & ſubiectum animæ rationalis, hac ratione non eſſe actu in homine animam: Hæc ſanè inſtantia puerilis eſt, quoniam ſenſiua anima in homine, vt Ioannes affirmauit, ſuum peculiare ſubiectum format, eſtque illius actus per ſe, & ſua natura ea ratione, qua forma eſt actus, & perfectio. dicitur tamen in habitudine ad animam intellectiuam potentia. Sed quum duo vni congruunt, ac de eo prædicantur; vnum per ſe, alterum in habitudine dicitur potiusq́ue conuenit id, quod ſua natura illi competit, quàm illud prædicatum, quod in reſpectu dicitur: Igitur potius dicendum eſt Animam eſſe actu in homine, quàm potentia. Sed hæc vel parum exercitatis in philoſophia, aperta incommoda ſunt, nosq́ue ea fuſius cū librum de Anima interpretaremur, explicauimus: quare hjs modo hactenus. Quæ verò de animorum purgatione poſtremò ſenſit, cùm ſint in Ariſt. commentitia, & principia naturalia corrumpant, vt ſuperiori capite monuimus; dedita opera ſilentio à nobis prætereuntur.

De opinione Themiſtij, Simplicij & Auerrois. Cap. IIII.

THemiſtius nobilis Philoſophus nec infimæ claſsis, in pleriſque omnibus breuis, & apertus eſt: at in hac diſputatione de humana men

te,ita parum firmus, parumque lucidus eſt, vt quid ſibi velit,perdifficile ſit intelligere. Nec minus Simplicius perplexus eſt,qui hominem multis intellectibus onuſtum eſſe voluit. Ab his Auerrois figmentum profectum eſt. Sed ad Themiſtium redeamus, qui quum duos poſuiſſet intellectus (vnum potentia,& alterum energia) æternos; de intellectu potentia,hæc axiomata propoſuit, nempe vnum eſſe cunctis hominibus,intelligereque per vices(& vt dicunt noſtri diuiſibiliter) quæ ab agente indiuiſibiliter reponuntur.Amplius,eſſe veluti effectum agentis. Intellectum autem agentem non eſſe Deum (quum ſit aliquid animæ noſtræ,in qua quemadmodū in omni natura,ſunt differentiæ,potentia, & energia) verūtamen duplicem eſſe nobis ſignificat,quòd ſit vt Sol,& vt lumen.Adhæc ſe ipſum comprehendere,nobiſque vniri:& pro vt nobis iungitur,in illo eſſe artes,& ſciētias diuiſas,& varias. Atque quum ſit ſimplex actus, nec ratiocinari, neque componere,aut diuidere, ſed tamen ab eo promanare omnem actionem non ſecus quàm à lumine; eſſeque omnem eſſentiam, &, vt in ſumma dicam, ex his duobus intellectibus totam eſſentiam noſtram conflatam eſſe. Verùm etſi æternus nobis iungatur, non ſemper tamen intelligere,quoniam admiſcetur potentiæ: minuſque poſt mortem reminiſci. Reminiſcētia enim & intellectio ſunt energia hominis,& totius compoſiti,quod quidem aboletur.Hæc ſunt,quæ hinc inde libro III de Anima deprompſit Themiſtius;quæ ſi in vnum componantur & inuicem conferantur,hoc ex eius ſententia colligi poterit:Intellectum agentem eſſe intelligentiam propriam humano orbi, qui homini vnitur cōpleto iam à natura,& à cauſis generantibus, quique cum ratio

nalem facit. Hunc porrò, cùm potentiæ vnitur, duas ſortiri rationes, & agẽtis, & intellectus potentia, nam vt nos informat potentiæ admiſceri, atque hac ratione dici intellectum potentiã, ſed quum ſua natura ſit actus ſimplex, & lumen, quo phantaſmata redduntur intellecta vniuerſalia, agentis nomen ſumere, hinc ergo non eſſe duas ſubſtantias facile intelliges, ſed vnã; verùm vt cum homine cõparatur, potentiæ, & actus rationem ſubit. Nec ignoro alios aliter fuiſſe interpretatos, ſed ii tanti philoſophi dignitatem non tuentur. Simplicius verò ſententias Platonis, & Ariſtotelis coaceruans, & varius, & difficilis ab omnibus habetur, dum tres intellectus tribuit homini, intellectũ potentia, qui cum æternus ſit, & ad inferiora hæc deſcendat, extra ſe ipſum progreditur. & intelligibila rerum materialium comprehendit, illiſque completur. Alium præterea addit ratione, fortaſsis, non autem ſubſtantia diſcretum à priori, qui ſe ipſum intelligit, & intra ſe ſe reuocatur, quodque alias mẽtes ſuperiores cognoſcat, hac ratione intellectus agens nominatur. Tertium deniq. aliquando viſus eſt his connumerare, fortaſſe illum, quem Them. vocauit ſolem. Auerroes Themiſtium ſequutus, quamuis illum mordicus reprehendat, propter obſcuritatem verborum Themiſtii: tamen idem fere ſentit. viſus eſt autem Themiſtius, intellectum Agentem, poſsibilem, & factum (quem ſpeculatiuum Auerroes nominauit) dixiſſeq. vnum eſſe, & ratione diſtingui. Verum dubitationes quæ agitant Themiſtium, & Simplicium, Auerroem quoque ſimiliter torquent. Alexander denique &ſi multum luminis verbis Ariſt. attulerit, quo apertius eius ſententiam perciperemus; Duo tamen ſemper in eius Placitis minus me delectarunt. Vnum quòd

intellectus agens Deus ſit,nam ſi Deus eſt,qua ratione nobis corruptibilibus vnitur. Quare cum ponat Alexander nouum effectum nullo alio intercedente a Deo proficiſci; prorſus à philoſopho lib. VIII. Phys. diſſentit, vt explicat quoque ibidē Auerroes. Alterum eſt,quòd cum Ariſtoteles aſſerat,quòd quicquid Deus operatur, motu ac lumine cœli id perficiat:ſi hoc ita eſt,quo pacto facultatē noſtrā intelligēdi illuminans perficiet, & non lumine cœli, ſed propio,ac peculiari ſuæ eſſentiæ:& qua ratione Ariſtot. Agentem intellectum, lumini; & habitui comparauit? hæc enim vt non fuerunt à prioribus explicata, ita neque poſteriores nobis aperuerunt.

De Methodo Ariſtotelis,qua res æternas ſcrutatur. Cap. V.

QVoniam propoſitum nobis eſt diſſerere, an intellectus,& mens noſtra æterna ſit,nec ne: nō ab re eſt,vt conſideremus, qua methodo res æternas Ariſt.venatus fuerit,quò veluti viam ſternat ad tractationem de æternitate mentis humanæ abſoluendam.In vniuerſo porrò quum ſint tria, forma ſubſtantiæ;corpus,ſiue materia;& motus.Formę quæ ſunt in materia ſenſibili,& tumultuaria,vt oriuntur,ita & abolentur. Sed forma,quæ per ſe exiſtit, nō immerſa materiæ,motoris rationē potius ſubit,quàm veræ formæ,atque hanc æternam eſſe demonſtrauit Ariſtoteles libro VIII Phyſ.hac ratione. Primùm, motum æternum in communi eſſe docet: deinde probat eſſe immobilem.Hincque non generari,nec corrumpi concludit.Si enim oportet motum ſemper eſſe nec progreſſum in infinitum in mouentibus natura

patitur; neceſſarium eſt, ſi motus perpetuus eſt, vt ſit aliquod mouens immobile, cum in immenſum non progrediatur. Ratio igitur, & via ad demonſtrandum materiæ expertes formas æternas eſſe ex opere Philoſopho petitur: verùm quùm ęterna nulla ſint niſi principia, & quæ rationem primi ſubeunt; iacit aliud fundamentum, nempe nõ eſſe proceſſum in immenſum. Poſt hæc docet corpus cœleſte eſſe ſubſtantiam æternam, ex ipſo motu æterno, qui in mobili æterno neceſſe eſt, vt inſit eiusque mobilis ſubſtantiam non eſſe, nec elementum aliquod, nec ex elementis conflatam oportet. Quin etiam confirmat motum eſſe æternum, communi ratione, quoniam alioqui ante motum, ſemper eſſet motus & propriè de motu circulari, quoniam non eſſet primus, quum tamen motus circularis ſit primus, & continuus, & vnus, ſequitur ipſum nullam intercapedinem habere. Igitur in infinitum progredi erit rationi conſentaneum, cum contrariis terminis non coërceatur. Præterea libro primo Phyſ. materiam, æternam eſſe demonſtrauit, quum enim materia ſit primũ principium, ex quo fit aliquid primò quum inſit; ſi fieret ex aliquo, profectò fieret ex ſe ipſa, atque ita eſſet priusquàm orta fuiſſet. Adhuc, ſi corrumperetur (quum corruptio ſit tranſitus in materiam) poſtquã corrupta eſſet, iam eſſet, hæc ſanè ratio ponit dari primum in materiis, quoniam in omnibus modis & generibus cauſarum, ſumma ſemper perquirenda eſt cauſa, vt planè in minori Alpha metaphiſices Ariſt. perſuaſit, & lib. II Phyſ. Omnia itaque quæ cognouit eſſe æterna, prima eſſe putandum eſt, ceu primam materiam, & primum motorem (non ſolum autem Deum vocat primum motorem, ſed omnes mentes

diuinas, à quibus cælum, & natura pendet lib. VIII. Phyſ.) ſimiliter & primum corpus, & primum motum circularem. Quare ſi per rationes, quibus ad hæc perquirenda vſus eſt Ariſt. licet mihi mentis humanæ æternitatem inueſtigare: proculdubio nulla eſt quæ æternitatem eius probet, quoniam ſi mentem humanam, vt formam, & vt motorem accipimus, cũ formæ conditiones ex functionibus, & actionibus cognoſcantur; nulla prorſus eſt in homine motio, aut operatio quæ continua, & perennis ſit, ſed omnes quiete intercipiuntur, & abolentur. Intellectio ſi quidem marceſcit, pereunt ſcientię, opiniones; appetitiones, progreſsiones, ſenſus, & nutricationes. Itaque vt lib. III. de Cœlo corruptibilium principia corruptioni obnoxia, & æternorum æterna eſſe dixit philoſophus; ſimili quoque argumento, concludamus, operationes corruptibiles à formis corruptibilibus, & ab æternis æternas prodire. Cùm igitur omnes operationes hominis interire ſentiamus, iudicandum ne eſt ſine cunctatione, formam quoque deficere? Nam ſi corpus ſpectes hominis, cùm perpetuis obiiciatur mutationibus, & decremẽta, incrementaque patiatur, & contrariis agitetur qualitatibus, quonam pacto eius forma, quæ materiam informat, & vt ſic dicam, animat, afficiturque ſimul cum corpore, æterna eſſe poſsit, non video. Enimuero ſi ad intellectum potẽtia propius accedimus, & illum vt ſubiectum, ac potentiam rerum intelligibilium perpendimus (quoniam libro II de Cœlo philoſophus notauit, non eſſe rationabile mobile aliquod eſſe ſempiternum, cuius non contingat eſſe motum ſempiternum. quòd hæc reciprocentur, nempe quibus non contingit ſecundum naturam motum eſſe ſempiternum

num : iis quoque accidit, nec mobile quidem eſſe ſempiternum, nec facultatem mouentem. Cumque nullum actum, nullumque opus intellectus æternum videamus, nec ipſe etiam erit æternus. Præterea mens humana inter prima principia vniuerſi non adnumeratur, quippe quæ vni ſpeciei à natura deſtinetur; Sola autem principia vniuerſi prima, æterna eſſe Ariſt. ſtatuit, vt diximus. Ad hæc, & ſi Animam immobilem, nulloque motu cieri libro primo de Anima docuit Philoſophus; animæ nihilo minus noſtræ rationali, aut intellectui potentia, non tanta accedit immobilitas, vt inde æternitatem nanciſci liceat: quoniam, vt libro VIII. Phyſ. præcipit Philoſophus, primus motor nulla penitus agitatur mutatione. & quanquam poſteriores orbes cùm pluribus circumferuntur motibus, & ab alio quadam ratione moueri dicuntur, Intelligentiæ tamen poſteriores nulla ratione mouentur, quamuis orbes ab alio moueri dicãtur, niſi vti velimus longa æquiuocatione: ſed moueri per accidens à ſe ipſo, corruptibilibus ſolum competere aſſeruit eodem loco philoſophus. Huic ſubnectas, ſed animam hominis moueri contigit à ſeipſa per accidens, cum mouetur ad motum corporis; quare neceſſario ſequitur, ipſam corruptibilem eſſe. Quòd autem moueatur non ſua natura, ſed motu quo corpus cietur, docuit Philoſophus libro primo de Anima, inquiens, per accidens tamen, vt diximus, moueri poteſt, & ſe ipſam mouere, mouetur namque corpus in quo eſt, mouetur autem, vt patet, ab anima. Alio vero modo fieri nequit, vt ipſa moueatur motu ad locum accommodato. Hinc colligamus, cùm animæ rationali, conditiones è regione diſſentientes, & contrariæ æternis formis competant, ſine controuerſia

Digitized by Google

illam eſſe corruptioni obnoxiã credendum. Quocirca qui aliter ſecundũ Ariſt. ſenſerunt, velim vt huic rationi ſatisfaciant, quæ breuibus ſic formatur. Si rationalis anima æterna eſt, igitur viæ quibus vſus eſt Philoſophus ad demonſtrandas formas materiæ expertes æternas eſſe, non modo non demonſtrant, ſed falſæ quoque iudicandæ ſunt, quod cùm abſurdiſsimum ſit, neceſſario & poſitum erit falſum. Nec viæ, & rationes, quæ à ſeparatione intellectus poſsibilis, & eius ſimplicitate, ac immixtione, cum illis non vtatuſumuntur, ſufficiunt: cum illis non vtatur Philoſophus, niſi præpoſita æternitate motus, & immobilitate formæ, quibus non conceſsis, vel poſitis, nec ratio quidem, quæ ex illis nectitur; probabilis erit, vt poſterius examinabimus. Huic accedit, intellectum potentia æquiuocum eſſe, quare & proprietates illæ æquiuocæ erunt, non autem veræ. Igitur intellectus neque ſeparabilis, neque immixtus dicetur; niſi ſeparatione diminuta, & non omnimoda immixtione.

An intellectus potentia ſit æternus, & diuerſa ſubſtantia ab agente. *Cap. VI.*

DVos homini tribuit intellectus Ariſt. lib. III. de Anima, vnum potentia, qui omnia fit: alterum energia, qui veluti habitus, & lumen omnia facit; atque hos ſimplices, immixtos, ſeparabileſque eſſe ponit. Hinc deducunt alii ambos eſſe æternos, atque ex iis animam rationalem conflari, illo vt materia, hoc vt agente, & forma; & cum conditiones ſint longe diſſentientes, ſubſtantias quoque eorum eſſe differentes, adeo vt duas eſſe ſubſtantes firmiſſime crediderint, & quàm plurimi in hanc ſententiam

venerint. Cęterum cum his, neque quòd duæ ſint ſubſtantiæ æternæ; neque quòd intellectus potentia non ſit defecturus minime conſentio, atque his rationibus, primum eorum placitum duas vnquàm eſſe ſubſtantias æternas, apertiſsime infirmamus. Intellectus potentia, & ſubſtantia æterna longe diuerſa ſunt ab Agente. Igitur nulla neceſsitate, aut vtilitate homini datur intellectus agens. Etenim ob duas vtilitates cõmentus eſt Ariſt. agentem intellectum, primum vt rei intelligendæ lumen præbeat, vt intellectus poſsibilis illam videat, & cognoſcat, deinde vt intellectus potentia formetur, & perficiatur, fiatque res ipſa, quam comprehendit. Quòd ſi intellectus potentia ſubſtantia eſt, & intellectus: profectò erit intelligentia. Itaq. longe ſuperiorẽ naturã: quàm ſit ipſa res materiali intelligenda, obtinebit; & ſua quidẽ natura ſeipſum citra cuiusquam interuentũ prius intelliget, quàm materiales ſubſtantias; cumq. intus ſecum habitet, antè ſeſe rimabitur, quàm foras ad peregrinas ſubſtantias intelligendas progrediatur. Non igitur opus habet intellectu agẽte, qui ipſum perficiat intelligibilibus materialibus, cũ eius ſubſtantia ſit longe ſuperior materiatis, & abundet lumine ad cognoſcenda illa, cumq́. propenſus & ſufficiens ad hoc opus accedat, illi intellectu agẽte non eſt opus vt formet phantaſmata; quoniam nihil imponit intelligibilibus, quomodo nec lumen imprimit aliquid coloribus, vt viſui obiiciantur, ſed natura intellectus potẽtiæ ſufficiẽs erit, efficereq. poterit totum illud, quod intellectui agenti adſcribitur. Denique cum ſit intelligentia quæ ſua ſubſtantia vniuerſalia rimatur, intellectus, ab alio non mutuatur, ſed ſua propenſione habet, vt intelligat vniuerſalia. Itaque quoniam ſe ipſum, non ope intelle-

ctus agentis,comprehendit,poterit proprio iure,materiales quoque ſubſtantias cognoſcere, nullius alterius interuentu. Cumque intelligentiæ ſint eiuſdem rationis,omnia quæ Ariſt.de intelligentiis inueſtigauit libris Phyſ.& Metaph.intellectui potentia;ſi æternus eſt,tribuenda erunt,neque erit dicendus potentia,ſed intellectus actu,quòd immediatius, vt iam explicauimus eſſe actum, quàm eſſe potentiam illi congrueret.Cæterum huic ſententiæ omnia priora argumenta,quæ aduerſus Ioannem Gramm.formauimus aduerſantur,atque Auerrois commentum ſatis huic noſtræ opinioni videtur fauere, qui cùm ſuppoſuiſſet,intellectum potentia ſubſtantiam eſſe,illamq. longe differre tùm a materiatis formis, tùm à cõpoſitis: concluſit eſſe formam ſubſtantiæ,in ordinem intelligentiarum adſcriptam,atque vt earum rationes à primo maximoque ente diſtant,eodem pacto vna eſt altera tanto & ſuperior,& nobilior,quanto propius ad Deum optimum maximũ accedit. Intellectus itaque potentia, cùm nouiſsima, ac inferior eſſe cæteris ab iis defendatur, ſuperiorum omnium rationes tenebit,prius quàm ad ſenſibilia materialia, quæ quidem alterius ordinis ſunt,ac naturæ,deſcendat. Erit ergo prius perfectus,quàm ad materialia progrediatur;neque erit ſimilis ἀγράφῳ γραμματίῳ ideſt,tabellæ nudæ: mentieturque Philoſophus,qui nullam certam naturam, nec vllum actum, ſed puram potentiam ei eſt largitus; cùm potius, ante quàm intelligit, ea quæ ſunt,eſſet perfectus. Proinde omnia, quæ Ariſt.nos docuit,huic opinioni omni ex parte reclamant,quod vel vno hoc argumento intelliges, quoniam ad Simplicii opinionem innumera abſurda aperte ſequũtur, & ad hanc nulla.Quod ſanè ſignum eſt,illam opinio

Digitized by Google

nem Ariſt.non adriſiſſe. Nempe puer modis quibuſdam extreme interſe diſſentientibus intelligeret,ſi intellectus potentia,vt iſti fabulantur,eſſet æternus, ac vna ſubſtantia in ordinem intelligentiarum adſcripta. Ex his enim, quæ ſuperius adnotauimus, pueri intellectus ſe ipſum intueretur, ac Deo perſimilis eſſet; ac idem, cùm ad materiales formas progrederetur, illas ſanè ignoraret, cùm tamen materiatæ formæ in intellectu, vtpote prima, ac nobiliſſima forma, comprehenderentur, quoniam in ſuperioribus, ac abſolutiſsimis formis omnes inferiores actu continentur.Ex aduerſo materiæ,omnes iſtę formæ potentia inſunt, vt docuit Auer. XII. Metaph.Itaque puer formas materiales nobiliſsime, ac abſolutiſsime in ſeipſo inſpiceret, & illas ignoraret modo imperfectiori . quod philoſophi de mentibus, & intelligentiis affirmarunt, nempe nobiliori modo hæc ſenſibilia intelligere, ignorare autem illa modo imperfectiori,quoniam vileſcerẽt, ſi qua ratione nos intelligimus,ipſæ quoque cognoſcerent.Sed & complura alia facile deducerentur incommoda, niſi modo ſat eſset mõſtraſſe locum; quare ad intellectum facientem(à quo digreſſa eſt noſtra diſputatio) redeamus.Cur quæſo iſti φιλοσοφώτατοι negant intellectum agentem materiata intelligere, & intellectum autem potentia eò deſcendere, ac illa intelligere fatentur. Nam vel alia eſt intelligentia intellectus agentis, ab intellectu potentia,vel vna amborum eſt ſubſtantia, ſed ratione diſtinguuntur.Quòd ſi altera erit,non iccirco ab intellectu agente tollemus materialium cognitionem, quoniam eſt actus,ſi enim per intellectũ in actu cuncta intelligimus,profectò magis ipſe intelliget,quia ex Ariſt.præcepto, quicquid eſt cauſa, vt

cætera intelligantur, vel illud magis intelligitur, ac prius, quemadmodum principia in demonſtratione: vel principium, ob quod cætera intelligimus, primo, ac magis intelligit, nam veluti lumen, quod eſt ratio, vt alia videamus, ſi facultatem videndi haberet, prius colores cerneret, quàm nos: ſimili quoque ratione, ſi intellectus agens eſſet veluti lumen, propter quod intellecta in nobis in actu fiunt, cum vim intelligendi perfectiſſimam haberet, vtique prius ea intueretur, quàm nos intelligeremus. Quòd ſi quis obiiceret, intellectum agentem vileſcere, ſi hæc animaduerteret: dicerem eodem fermè pacto, intellectum etiam potentia, cum ſit de numero intelligentiarum, licet poſtrema, vileſcere, ſunt enim eiuſdem rationis, & ſupra naturam. Et quamuis inter illas ſit ordo; tamen hæc, eſſe abſtractum ab materiatis formis, & à viliori non perfici; in ratione generis, prout ſcilicet intelligentię ſunt, de illis affirmantur, quinetiam vt cum natura conferunt, rationem primi motoris omnes intelligentiæ ſubeunt, vt ſæpe docuimus ex verbis Ariſt. libro VIII. Phyſ. vbi aperte de intelligentiis affirmauit, omnes habere rationem primi motoris, ad hæc inferiora comparatas, formetur igitur argumentum. Prædicata, quæ conueniunt omnibus intelligentiis, in ratione generis, hoc eſt vt ſunt intellectus abſtracti, ſi de vna dicuntur, & de omnibus dici neceſſe erit. Sed non perfici, nec moueri à materialibus formis proprium eſt intellectui abſtracto, ſecundum cõmunem rationem intellectus abſtracti. Igitur ſi de vno intellectu negandũ, de omnibus, & de toto ordine intelligẽtiarũ negandũ erit. Atq. vt rem exẽplo apertius intelligas, orbis Lunę nouiſſimus ac poſtremus eſt omniũ, differuntq́ue hi interſe puritate, vt Ariſt. libro primo

Meteorũ docuit. Atq. vt ab his ſenſibilibus, ac elementis non pati, cùm ſit cõmune predicatũ cõuenit Cœlo, ita & omnibus eius partibus; & ita Lunæ, ſicut aliis ſuperioribus, cùm nõ habeant materiam, in qua, cum elementis communicent. Eadem fermè ratione intelliges intelligentiis, quibus conuenit non perfici à materialibus formis, vt ſunt intelligentiæ, id vel omnibus, vel nullis dandum eſſe. Huic aſtipulatur Auer. qui aliquando omnes intelligentias eiuſdem rationis ac ſpeciei eſſe affirmauit. Nec te moueant, quæ ab his paſsim dicuntur, intellectum agentem illuminare; nõ autem intelligere hæc materiata, quandoquidem hęc Ariſt. in tractationibus ſuis nuſquàm docet: ſed quoniam modus, quo Deus auctor noſtræ eſt intellectionis, erat nobis obſcurus, nec penè intelligibilis, vſus eſt hac ſimilitudine, dicens eſſe veluti habitum, vt lumen; nempe exemplo apertiori nobis declarans modum actionis intellectus. Inquit autem eſſe habitum, ideſt formam, quæ ita operatur circa phantaſmata, quemadmodum & lumen circa colores, quod non facit quidem vt ſint colores, vt alibi à nobis probatum eſt; ſed aliquo modo dicitur eos facere, quoniam in cauſa eſt vt videantur. Haud abſimile accidit intellectui agenti qui nihil in phantaſmatibus imprimit, nec facit vt ipſa ſint intelligibilia ab intellectu potentia; ſed tantum vt comprehendantur vniuerſaliter ab intellectu. Adfert igitur exemplum de lumine, vt obſcuriſsimum modum operandi intellectus agentis in phantaſmata, aliqua ratione nobis explicaret. Itaque Ariſt. per hæc verba intellectum agentem materialium cognitionem obtinere non negauit, nec eſſe lumen affirmauit, ſed eũ eſſe veluti lumen, ait. Nec mireris Ariſt. vocare habitum intellectum agentem, &

paulo inferius actum; quoniam vocat habitum, id eſt formam, quomodo dixit lib. primo de Generat. habitibus præſentibus in materia ceſſat motus, & pluribus aliis locis per habitum formam intelligit. Inferius autem actum appellat, & energian, vt cōparatur cum intellectu potentia. Hinc inextricabiles Latinorum ambages nulla ratione cum verbis Ariſt. cohærere iudicabis, ſi quidem intellectum agentem illuminare ac non intelligere, quomodo fieri poſsit, intelligi nequit, niſi dicamus, vt lumen candelæ; illuminat, & nō cognoſcit, ita intellectum agentem illuminare, & nō cognoſcere, atqui hoc abſurdiſsimum vel nuper initiatis in philoſophia videbitur. Ex his igitur habemus, intellectum agentē, non eſſe aliam ſubſtantiam à poſsibili. Cæterum Latini vnam quidem ſubſtantiam animi fecerunt, ſed intellectum agentem, & poſſibilem, duas eſſe eius facultates dixerunt ex verbis Ariſt. in hanc ſententiam adducti, cùm dicit, in anima has eſſe differentias, quaſi intellectus Agens, & Poſſibilis ſint in ipſa ſubſtantia animi. At hæc opinio, nec verbis Ariſt. nec rationi reſpondet, eſt enim in omnibus ferè libris Ariſt. proloquium in dubitatum, quòd vna, eademq́ue res, ac ſubſtantia, vt cum vno, & eodem effectu comparatur, non habet duas rationes inuicem repugnantes; ita vt ſit efficiens, & eiuſdem effectus ſit materia: ita enim XII poſt natural. in Empedoclem inuehens aſſeruit Ariſt. Et philoſophi ferè omnes Peripatetici ex his, quæ Ariſtot. docuit II. Phyſ. affirmarunt materiam, & efficientem non coincidere; quoniam ratio agendi eſt actus, & recipiendi eſt potentia, idem enim eſſet in actu, & in potentia ſimul, vt vnum effectum reſpiciunt; & duo contradictoria de eodem verificari neceſſe eſſet. Ad hæc, ſi in

ter ſe

ter ſe inuicem conferas proprietates, quibus intellectus potentia,& intellectus actu differunt;aperte cognoſces,apud Philoſophum, eas vni, & eidem ſubſtantiæ conuenire non poſſe.Intellectus enim potentia nullum habet actum,nullam certam naturam; ſed eius natura eſt potentia antequàm intelligit. Ex aduerſo,intellectus agens,eſt ſubſtantia, actus æternus, ſolus. At quo pacto poſſumus ex dictis Ariſtotelis ſtatuere, vnam,& eandem ſubſtantiam eſſe actum purum, & eſſe abſolutiſsimam potentiam. Amplius, per ipſum intelligere intellectus potentia ad actum deducitur,& intellectus agens ipſum intelligere generat,veluti lumen.Atqui hæc affirmare de vna ſubſtantia,eſt ſimile illorum philoſophorum opinioni,qui Deum,& materiam vnam ſubſtantiam eſſe aſſeuerarunt.Docuit quippe Ariſt.libro primo de Gener.animal:nihil ex eo, quod mouet,& quod mouetur poſſe conſtitui. Nulla itaque ratione decet philoſophum Peripateticum aſſerere intellectum agẽtem, & intellectum potentia eſſe vnius ſubſtantiæ animi noſtri facultates: Siquidem facultates omnes animæ noſtræ, quibus homo, & intelligit.& ſentit ſunt potentiæ.Dixit enim Ariſtoteles ſenſum eſſe potentia ſenſibile,& intellectum eſſe potentiam intelligibilis. Vegetalis autem facultas, cum non ſit potentia cognoſcens,inter has non enumeratur. Quare qui aliter ſentiunt, perperam intellexerunt Ariſtotelem cum dixit has eſſe animi differentias;vt fuſius in hac diſputationis poſtrema parte explicabimus.

Intellectum non eſſe ſubſtantiam æternam Cap. VII.

SVperiori capite, diximus duo ex illorum ſententia ſequi, in quibus cum illis non conſentiebamus. Primum, intellectum agentem, & poſsibilem duas eſſe ſubſtantias æternas: nanque vt aperte demonſtrauimus, nec rationi Ariſt. nec verbis id accommodari poteſt: quòd ſcilicet hi duo intellectus, duæ ſint ſubſtantiæ minimeque in vnam coëant. Alterum erat, intellectum eſſe æternam ſubſtantiam, cuius dicti falſitatem modo demonſtrare conabimur. & primum ex eo quoniã peripatetici negarunt æternas mentes, poſſe ſenſibilia, & corruptioni obnoxia, ſemoto Cœlo, ſine medio generare; propterea, quòd æternam mentem immediatam eſſe cauſam corruptibilium, nobis ſignificat imperfectionem: cum dictum ſit libro III Cœli, cauſas caducas eſſe rerum caducarum, ac æternarum æternas. Proinde longe ab Ariſtot. diſſentire videtur, æternam ſubſtantiam moueri, ac perfici à corruptibilibus phantaſmatibus: cum multo maiorem imperfectionem æternis donaremus, ſi illas materias corruptibilium faceremus, & ſine vllo medio ab illis perfici; quàm ſi illas eſſe cauſas agentes, ac generantes ſtatueremus. Ariſt. autẽ cũ vnum aperte negauit, aliud quoque nulla cũctatione credendum eſt illum negaſſe. Ex omnibus ergo Philoſophi decretis firmiter accipiendum eſt, æternas mentes nulla ratione cum rebus caducis vniri poſſe, nec vt immediatum agens, nec vt immediatam materiam, nec vt immediatam formam, neque tandem vt immediatum finem, ſed ab ipſis intelligentiis, prout Cœlum mouent (quod quidem ſubſtantia æternum eſt, at ratione motus variabile) materialia, & ſenſibilia ge

nerari. Amplius, aliud ſequeretur incommodũ, quòd ſi à ſubſtantiis æternis nullo medio interueniente, generaretur aliquod corruptibile, id planè eſſet æternum atque ita quod ſua natura defectibile, & caducum eſt, ab aliquo æternitatem nanciſceretur. Quod aperte aduerſatur dictis Philoſophi primo Cœli. His accedit aliud non leue abſurdum, à ratione, & ab Ariſtotele abhorrens; quòd materia, & ſubiectum (quod apud iſtos eſt intellectus potentia) æternum, & intellectus agens ſimiliter æternus, & quodlibet intellectum æternũ vtiq. eſſet, vt Auerr. Themiſtio obiicit. Nec cõfugiendum eſt ad illa phantaſmata, quæ Auerroës commentus eſt, vt manifeſto exemplo demonſtrabimus. Nanque videmus materiam, quæ omnibus formis ſubſternitur, incorruptibilem eſſe, cœlumque ipſum eſſe æternum ex Ariſt. dogmate: cùm hæc igitur principia poſuerit Philoſophus æterna, effectus, qui ab his principiis proficiſcuntur, æterni neceſſario erunt, in ſua quique ſpetie. Semper enim hominem, & quamlibet aliam ſpetiem, quæ per ſe, & nõ temere fit, æternam eſſe Ariſt. docuit, quamuis ſingulares homines corruptioni obnoxii ſint, ſimili quoq. ratione, intellectus potentia cùm ſit æternus, & intellectus agens æternus; res intellecta, cum ſit vniuerſalis, æterna neceſſario erit, quamuis phantaſmata, quę in imaginatione Socratis, vel Platonis fuerunt, quæ ue futura erunt aboleantur. Intellectus igitur vnietur poſtmodum cum aliis hominibus poſteris, habituatus quidem, & abſolutus vniuerſalibus omnibus; eritque, non vt tabella agrapha, ſed potius vt ſcripta, ac vniuerſalibus depicta. Adhuc nulla erit nouarum ſcientiarum acquiſitio, ſed præteritarum ſolum reminiſcentia, quod quantum ab Ariſtot. ab-

horreat, non eſt qui ignoret, aperte enim in libello de Longit:& breuit.vitæ,cùm aboletur homo,ſcientiam,& intellectionem,ſpeculationem,& reminiſcentiam,omnemq́ue animi affectum deleri ſenſit. Idem & libro primo de Anima, & III. docuit,quòd qua ratione,corporis habitus,vt ſanitas,cum corpore interit:eadem,& ſcientia,quæ eſt animi noſtri habitus perit. Actiones igitur,ſcilicet ipſum intelligere,ac reminiſci, ipſique habitus, cum homo marceſcit, deperduntur. Quam autem ob cauſam id fiat, explicauit & ipſe libro III de Anima,inquiens,non reminiſcimur,quoniam aliquod interius corrumpitur,& rurſum explicatius, vbi dixit. Quoniam intellectus paſſiuus,corruptibilis eſt. Auerr.& qui ipſum perditè ſectantur,per intellectum paſsiuum,phantaſiam,quam nos imaginationem dicimus,putant Philoſophum intelligere,ſed ſi hæc interpretatio reſponderet Philoſophi verbis,ſolum ipſum reminiſci,& intelligere,quæ eſt eius operatio,aboleretur. At verò,vt iam ſuperius adnotauimus libro de Longit.vitæ,ſciẽtiam,ac ipſum habitum aboleri voluit Philoſophus qui ſanè eſt in ipſa mente:igitur illud, quod interius corrumpitur, qui intellectus paſsiuus,& poſsibilis dicitur, non eſt ipſa imaginatio,ſed intellectus potentia,in quo ſcientia ipſa,& eſt,& fit. Quod quidem,vel hoc argumento perſuadetur,Philoſophus enim nos docere volens quaſdam formas duplici modo deſinere, aut per ſuũ contrarium,aut per ſubiectum (puta ſcientia per deceptionem,ac obliuionem aboletur,& per corruptionem ſubiecti)inquit,corruptis animalibus,corrumpitur ſcientia,& ſanitas. Voluit igitur,quòd per ſubiecti corruptionem, & habitus animi, & corporis deperduntur. Vt igitur Ariſt. ſibi ipſi conſtet, & varia

non ſentiat (quod quidem ſemper fuit illius inſtitutum) dicendum eſt: illud, quod interius corrumpitur, eſſe ſubiectum in quo eſt ſcientia, atque id erit intellectus potentia,& animæ facultas,ac inſtrumentum,ſine quo homo nihil intelligit,quamuis intellectus agens ſit æternus.Non igitur eſt intelligendũ de imaginatione;quæ eſt inſtrumentum extrinſecum;ad ipſum intelligere conducens, ſed ſi ad actum referas, non tamen ad habitum obfirmatum referri poteſt: quia habitus,corrupta adhuc imaginatione, non deperditur, cum ſit forma rationis. Itaque, quoniam, & actiones,& ipſi habitus abolentur;neceſſario affirmabimus, intellectum potentia vnà cum homine deſinere.Nec Simplicii interpretationem probo, qui voluit:quòd corrupto homine,deperdatur poſsibilitas intellectus,non ipſa ſubſtantia intellectus. Aperte enim aduerſatur verbis Ariſt.cum inquit,quòd aliquod interius corrumpitur. Ergo aliqua ſubſtantia deſinit,cùm homo occidit. Quòd ſi poſsibilitas ſola deperderetur; cum homo perit:relatio,& habitudo, non autem aliquid interioris ſubſtantiæ deſineret,nõ igitur eſſet ſubſtantialis corruptio, & terminaretur ad habitudinem.Accedit iis,Ariſt.dixiſſe intellectum poſsibilem eſſe corruptibilem,atqui intellectus poſsibilis,vel eſt imaginatio,vel eſt aliquid animæ;ſed poſſibilitas tantum habitudo eſt intellectus,ad res naturales,ad quas deſcendit,& progreditur,non igitur eſt aliquid noſtri;nec aliquid, quod rebus inſit,ſed rationis quædam habitudo ad res materiales.Nulla igitur res corrumperetur, cum homo interit;ſed eſſet veluti columna, quæ deſinit eſſe dextra, vel ſiniſtra. verùm,quo pacto intellectus vt poſsibilis deſinat,ſed vt intellectus,remaneat, vt Simpliciani affirmarunt,

Digitized by Google

nulla ratione intelligere potuimus, an ſcilicet cùm homo corrumpatur, deſinat poſsibilitas, vt non ſit amplius poſsibilis, an hoc referendum ſit ad phantaſmata noſtra deperdita, quaſi ille amplius intelligere nõ poſsit, verum remaneat poſsibilitas ad intelligendum alia, puta cùm deſcendit ad phantaſmata huius, vel illius. Igitur ſemper erit poſsibilis, quia ſemper poterit deſcendere, & ſua natura vltra progredi. Quare, non corrumpitur intellectus poſsibilis, nam cùm vlterius ad alia phantaſmata cognoſcenda ſit poſsibilis, ſemper erit poſsibilis. Sed ſi mihi reſponderis, quòd deſinit ſimpliciter eſſe poſsibilis; apertè inde ſequetur, quòd non amplius poterit vltra progredi ad alia materialia intelligenda, quod abſurdiſsimum eſt, & cum experientia pugnat; non enim intellectus, ſi ſua natura non eſſet poſsibilis, per hanc vnionem efficeretur poſsibilis: quoniam violenter, & præter naturam fieret poſsibilis, atqui violentum nullum eſt perpetuum & quia ſemper violenter vniretur nobiſcum, ab inferioribus formis materiatis vim pateretur, contra vniuerſi, ac naturæ ordinem: non enim inferiora, & caduca ſuperioribus, æterniſque formis vim præbent æternam. Reliquum ergo eſt, vt dicamus, quemadmodum ſuperius diximus, quò cum apparentibus ratio conſentiat, intellectũ potentia aboleri cũ anima, quæ eſt ſubſtantia: eiuſdemque rationis confitendum eſt eſſe corruptionẽ hominis, cum interitu aliorum animalium, atque vt aliæ corruptiones ad ſubſtantiam, ita hominis quoque ad ſubſtantiam terminabitur: eritque vera hominis corruptio, & non ſeparatio. atque ita ſcientiæ, & ipſæ actiones, puta intellectio, & reminiſcentia vnà cum homine occident. Quòd autem ſic planè Ariſt. ſenſerit, ex ſectione. XXX.

Digitized by Google

Problematum facile accipies, dum quærit cur ſeniores amplius mente valeamus, & iuniores ocius diſcamus, ſubdit enim, quia natura parens & author omnium, inſtrumenta duo nobis inſeruit, quorum opera inſtrumentis extraneis vti valeremus. Manum inquam corpori dedit, animo mentem, eſt enim mens quoque rebus à natura nobis impertitis adnumeranda, vicem ſanè gerens inſtrumenti. Cæteræ omnes ſcientiæ, arteſque noſtra opera ſunt; mentem ipſam opus eſſe naturæ fatendum eſt. Vt igitur manu, non iam inde ab ortu naturæ vti poſſumus, ſed cum eam natura abſoluit, perfecitque (procedente namque æta te manus ſuum opus maxime efficere poteſt) ita etiã mens, quæ res naturalis eſt; non protinus, ſed in ſene ctute maxime nobis contingit, atq. tunc potiſsimum cõſumatur, atque abſoluitur, niſi detrimento aliquo lacera, læſaque ſit, queamadmodum cætera quoq. opera naturæ. Mens vero poſterior, quàm manuum facul tas accedit: quoniam etiam inſtrumenta mentis, poſteriora ſunt, quàm manuum inſtrumenta. eſt enim mentis inſtrumentũ ſcientia: menti nãque vtilis, ſcientia eſt, vt tibicini tibia. Manuum inſtrumenta, res pleræque naturales ſunt: natura autem ipſa, eiuſque res omnes, priores ſunt, quàm ſcientia. Quorum autem inſtrumenta priora ſunt, facultates quoq. eorundem prius contingere congruum eſt. His enim crebrò vtentes conficere habitum ſolemus, & iſta ſic reciprocantur, vt quam vicem hæc inter ſe gerunt, quorum inſtrumenta ſunt, eandem inſtrumenta quoque ipſa inter ſe habeant: viciſsimque, quem inſtrumenta inter ſe, eandem, illa quorum ſunt inſtrumenta, Mens igitur ea de cauſa nobis ſenioribus contingit. Diſcimus autem ocius iuniores, quia rem ferme nullam te

Digitized by Google

nemus, cùm enim res pleraſque ſcimus, non æquè præterea capere alias poſſumus. Quomodo etiam meminiſſe melius ea valemus, quæ mane primum percipimus: Deinde procedente die, memoria hebetatur quoniam multa iam perreptauimus. Hæc Philoſophus, ex quibus colligimus quatuor, Intellectum potentiæ, eſſe nobis à natura inditum, & eſſe veluti inſtrumentum animæ, ſecundum eſt, quod læditur, vt & aliæ animæ facultates, atque hoc quidem cum non eſſe æternum docet, ſiquidem ſi æternus eſſet, nec à natura nobis, ſed ab exteriori cauſa datus, non læderetur, nanque opera naturæ ſunt generationi, & corruptioni expoſita: opus autem Dei, quod ab ipſo ſine medio proficiſcitur, æternum eſt, nam vt nobis ſignificauit Philoſophus II. Cœli, æternitas eſt effectus Dei. Tertium verò eſt, cum in lucem primum prodimus, non ineſt nobis intellectus perfectus, ſed imperfectus, & in potentia, & ſimilis agraphæ tabellæ: ac ferè nihil differt à beſtiis anima pueri, vt VIII de Hiſtoria animal. adnotauit Philoſophus: hinc fit, quod pueri omnes viros, patres; & omnes fœminas, matres appellent, tempore autem procedente diſtinguunt vnumquodque. Tunc enim intellectus, vt hic docuit Philoſophus, perficitur; & vt Auerr. dixit primo Phyſ. vigoratur. Poſtremo habemus, intellectum perfici in ſenectute, eique aſtipulatur Ariſt. XII. Metaph. ſed perfectio durat pauco tempore. Hinc habeto hominis fælicitatem poſtremam, eſſe ſcientiam, & nō adeptionem; vt commentus eſt Auerr. Ad hæc ſi intellectus potentia eſſet æternus, etiam animæ facultas, eſſet tota in qualibet parte corporis, & in toto corpore, quoniam eſſet indiuiſibilis (quod enim indiuiſibile eſt, totum eſt vbi eſt) ſed anima iuxta Philoſophi

loſophi ſententiam, nec intellectus eſt in toto corpore. Igitur anima non eſt æterna. Quòd autem non ſit in toto corpore, ſignificauit Philoſophus in libello de Iuuent. & ſenect. vbi ait, cor eſſe animæ ſedem, ſed explicatius in fine libri de Communi animalium motu, cum inquit, animal ſanè ita conſtitutum eſſe iudicare debemus, vt ciuitatem legibus bene inſtructam, & temperatam. In hac enim, poſtquam adminiſtrationis ratio ſemel inſtituta eſt, nihil oportet abſentem principem rebus ſingulis, quæ geruntur intereſſe: immo vero quiſque officiis fungitur ſuis, vt mandatum eſt, & aliud poſt aliud ex conſuetudine adminiſtratur & inſtituto. In animalibus hoc ipſum tum per naturam efficitur; tum quòd ſingula, quæ ita conſtituantur, ad munera ſua exequenda probe affecta ſunt. Quocirca non opus eſt, in vno quoque membro animam ineſſe: ſed cum in certo principio conſiſtat, & reliqua membra, quòd illi adiūgantur, viuunt, atque officia per naturam obeunt ſua. Hæc Philoſophus. Hinc aperte accipis, animam eſſe in corde, & non in toto corpore. At verò intellectum quoque neceſſario eſſe in corde, ratione demōſtrabimus, ſi enim in mortalibus intellectiuum non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo, vt II. de Anima determinauit Philoſophus, eſt ſanè inſeparabile: quare ſequitur neceſſario, quòd ſit in eodem loco, & in eadem particula corporis, in qua eſt ſenſitiuum, & vegetatiuum; ſi diceres, eſſe in alia, id refragatur Ariſt. primo de Anima, qua agit cōtra Platonem, qui diuiſit partes animæ ſecundum partes corporis, atqui nulla particula deſtinatur intellectui, vt eodem libro explicauit. Accedit, quòd facultates animæ ratione diſtinguuntur, vt III. de Anima docetur, & non per partes corporis, ſed per potentiam.

Digitized by Google

Neque verba Ariſt.primo de Anima diſſentiunt cum his dictis quippe libro primo de Anima,quanquam in Platonem inuehit,dicitque nullam poſſe dari particulam corporis, quæ ſit proprium organum intellectus,quemadmodum facultatibus ſentiendi aſsignantur pro organis,diuerſæ particulæ corporis:Dicimus tamen ipſam animam eſſe in corde, veluti in ſua regia;& intellectũ, vt facultatem animæ ibi quoque eſſe non vt in organo,ſed vt in ſubiecto,in quo eſt ſubſtantia animæ,vt paulò inferius enarrabimus.Confitendum igitur eſt,in eadem particula ſenſitiuum, & intellectiuum eſſe; verum non vtitur corde pro inſtrumento,quemadmodum,& aliæ animæ facultates ſed ipſe intellectus potentia eſt inſtrumentum animæ,cuius ſubſtantia eſt in corde.Hinc patet, quod ſi inſeparabilia ſunt, ſenſitiuum, & intellectiuum in mortalibus; apertè conſtat,eſſe in eadem particula. Collige itaque, intellectum, aut animam intellectiuam non eſſe in toto,ex Ariſt.decreto,nec in alia particula aliqua à corde,nam ſe à ſenſitiuo nulla ratione ſeparari poteſt; neceſſariò cenſendum eſt eſſe in corde,atque ita non eſſe æternum. Præterea vt ex abundanti ab Auerr.mutuemur rationes,hic II. lib.Phyſ. auſcul.perſuaſit,ratione ducente ad incõmodũ quòd materia non poteſt per ſe ſubſiſtere, ideſt ſeparari ab omni forma,quia ſequeretur,id quod non eſt in actu eſſe in actu. Vtor equidem ſimili argumẽto,ſi intellectus ſepararetur à Socrate, qui ſua natura eſt potentia. III. de Anima (nulla enim eſt alia natura, niſi quòd poſsibilis eſt)& vt dico de Socrate,ita in vniuerſum intelligo, ſi ſeparabilis eſſet à materia: quod per ſuã naturam,eſt potentia, efficeretur per ſe actus quod apud Auerr.eſt multo omnium abſurdiſsimũ:

Digitized by Google

quoniam actus, & potentia ſunt differentiæ valde oppoſitæ, vt ipſemet fatetur primo de Anima. Accedit, quod ſicut per vnionem ex Simplicii ſententia, eſt intellectus factus poſsibilis; ita per ſeparationem fieret in actu, quoniam oppoſitæ cauſæ oppoſitos faciũt effectus per ſe. Quare Simplicii opinio nunquam mihi arriſit, quoniam intellectus eſſet per accidens potentia, nec ſua natura, vt Philoſophus inquit, aut per ſe & per eſſentiam poſſet eſſe actus, etenim ſi eſſet per eſſentiam actus, nec per ſe, nec per accidens competeret illi ſuum oppoſitum: quoniam omne quod eſt tale per eſſentiam, ad quodcunque comparetur, ſemper eandem rationem ſeruat. Intellectus ergo, ſi ſua eſſentia, & natura eſt actus, ſiue comparatur ad materiam, ſiue ad obiecta materialia, ſemper erit actus. Nãque nullus ſanè, ne grãmatiſta quidem hæc depromeret, aliquod ſua eſſentia eſſe album, & cõparatiue dici nigrum, & rationem contrarii ſubire, veluti ignis, qui ſua natura eſt calidus, cuicunque comparabitur, nunquàm vt frigidus intelligetur: quoniam ſub oppoſita ratione ſuæ ſubſtantiæ conſideraretur. Et hæc quidẽ ratio longe magis cogit ſi de intellectu, quàm de materia feratur. Etenim nullibi intellectum potentia. III. de Anima (in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit) eſſe ſubſtantiam affirmauit; ſed ſolum de eo hæc prædicata protulit, ipſum eſſe potentia, impaſsibilem, ſimplicem, ſeparabilem ab organo, & immixtum, quæ omnia conueniunt intellectui, vt facultas eſt cognoſcendi. tamen nunquàm dixit, illum eſſe ſubſtantiam, quod quidem ſummè neceſſarium erat, ad rationem intellectus explicandam. At de intellectu agente, quòd ſit ſubſtantia actu exiſtens, inquit Philoſophus. Quod quidem Auerr. vel de indu-

Digitized by Google

ſtria, vel hæc non animaduertens, ſuppoſuit, illum eſſe ſubſtantiam, & eſſe quartam, aliam à materia, forma, & compoſito: perſuaſus, quòd hæc verba, eſſe immixtum, ſeparabilem, & ſimplicem, ſignificarent ſubſtantiam. Verum deceptus eſt, quoniam hæc de facultate protulit Ariſtot. quandoquidem intellectus potentia, vt facultas intelligendi, eſt potentia intelligibile, & non actus. Hac itaque ratione, eſt ſimplex, & non mixtus, vt facultas ſentiendi, ipſi organo, & ſeparabilis, à ſenſibilibus, & à ſenſu ſecundum rationem, cum ſpeculatur vniuerſalia, & dicitur intellectus ſpeculatiuus. Et totum hoc illi accidit, quia non vtitur organo, ſed ipſa anima eſt ſubſtantia, & actus corporis, animæque intellectus potentia eſt facultas, & veluti inſtrumentum, vt paulo inferius patebit.

Amplius, intellectus potentia, aut dat eſſentiam homini, aut vnitur per operationē. Si largitur eſſentiam omnia abſurda ſuperius enumerata ſequuntur. Accedit, quòd Socrates eſſet rationalis per rationē eandem numero cū Platone; & quamuis phantaſmata eſſent numero diſcreta in Socrate, & Platone, tamen exiſtentibus ſimilibus phantaſmatibus, eſſent eædē opiniones, & non mutarentur. Cuius oppoſitū Ariſt. lib. I. Cœli, & lib. Meteo. docuit, cum inquit. De eiſdē infinities mutari opiniones; quod nulla ratione poſſet fieri, nam ſi daremus intellectum eſſe vnum numero, & phantaſmata ſimilia, neceſſario ſemper proficiſceretur eadem opinio, & idem modus intelligendi; quoniam cum materia eſt vna, & agens particulare vnum effectus ſemper eſt vnus. Sin autem vnitur nobis intellectus mediantibus phantaſmatibus, vt voluit Auer. alia ſequentur abſurda. Primum quidem, quòd cum nos non intelligeremus in actu, priuaremur vnà &

ipſo intelligere, & facultate intelligendi,& ſic de rationalib. efficeremur non rationales, & illud ſæpius accideret in nocte, cum ſomno corripimur. Aſſumptum declaratur.Cum non intelligimus, intellectus non vnitur phantaſmatibus, igitur nec nobis,ergo priuamur intellectu,& cùm in nobis non ſit facultas, antequàm actu intelligamus,cum priuamur;actu, ſimul & potentia priuabimur (quod Ariſt.contra Megarenſes pro abſurdo induxit IX. Metaph.) idemque erit actus,& potentia.Vlterius ſequeretur, quòd anima non eſſet potentia vitam habens,ſed operatio; & eadem eſſet facultas intelligẽdi,& intelligere,quæ vel parum exercitato in libro de Anima,& in philoſophia abſurdiſsima videbuntur. Accedit aliud incommodum,quòd hæc duo diuerſa natura,ſenſus, & intellectus,corruptibile,& æternum, vnirentur medio corruptibili,nullam habente cognationem cum æterno;cum tamen medium naturas extremas debeat participare,atqui phantaſma non participat æterni naturam, nec ab ipſo intellectu nec in actu à propria natura. Et ſi propter vires,quod phantaſma eſt intelligibile in potentia,& ipſum factum in actu ab intellectu agente,eſt medium quo vnitur intellectus nobis:hæc ſunt puerilia. Primo nanque dicam, quod qua ratione intellectus agens vnitur phantaſmatibus, eadem vnietur illis intellectus poſsibilis, cum ambæ ſint intelligentiæ, & vterque æternus. Accedit,quòd cùm idem ſit intellectum in actu,& ipſum intelligere:non eſt prius ipſum intellectum in actu, vt poſterius ſequatur intelligere,vt Latini perperam ſenſerunt:ſed intellectus cum agens facit ipſum intelligere,ſimul intellectus agens,& poſsibilis vnirentur nobis per operationem. Quare eodem modo, & eodem medio hi

duo intellectus coniunguntur nobis,quæ ſanè aduerſantur verbis philoſophi libro III.de Anima,vbi habet quòd in indiuiduo intellectus potentia præcedit agentem,verùm non ſimpliciter. Amplius, idem materiatum corruptibile eſſet materia æterni, & motor æterni intellectus, quod nulla ratione poteſt affirmari. Siquidem quod eſt imperfectiùs tota natura æterna, vel reſpectu cuiuſcunque æterni habet rationem imperfectioris, nec poteſt eſſe Agens quoniam Agens eſt nobilius paſſo. Minimè poterit eſſe materia, nam præter Auerr. libro III de Anima,affirmantem, nullum corruptibile eſſe materiam æterni:eſt & ratio quę idem aſtruit. Effectus enim immediatus,& per ſe cauſæ æternæ,eſt æternus;ſed nullus effectus in materia corruptibili, eſt æternus; igitur nullus effectus in corruptibili materia, erit effectus immediatus cauſæ æternę,phantaſma verò,cùm corruptioni ſit obnoxium,nec materia agentis intellectus; nec agens, & motor erit intellectus potentia. Nullo igitur pacto audiendus eſt Auerr.Summè igitur neceſſarium eſt in philoſophia Ariſt.affirmare, intellectum potentia eſſe facultatem animæ noſtrę,qua homo intelligit, & ſapit principio exiſtente in ipſo; corruptibilem,& generabilem.Hoc igitur ſic conſtituto,phantaſma,& intelligibilia materialia erunt proportionata huic intellectui, & nullum abſurdum ſequetur,vt audies.Sed fautores æternitatis intellectus aſſerunt nullum eſſe incommodum, quòd phantaſma ſit inſtumentum intellectus agentis, licet non primarium agens.Sed hæc ſunt nugæ,nam ſimili ratione reſpondere Ariſt.poterimus, quòd elementum ignis, vt inſtrumētum Solis in Cœlum ageret,quamuis materiam communem non haberent. Eſt enim ignis à

Sole generatus per diſgregationem atque cum in igne ſit virtus Solis impreſſa,quod eſt agens nobile, & æternum,poterit vt inſtrumẽtum Solis in Cœlum agere,eadem ferme ratione,qua iſti defendunt phantaſma;vt inſtrumentum intellectus Agentis,in ipſum intellectum agere,ac illum mouere,quod ſanè totam Ariſt. philoſophiam peruerteret. Sed vt hæc reſponſio è medio tollatur, connectes tale argumentum. Cum ſint duo rerum genera,genus intelligentiarum nobiliſsimum,longe perfectius, ac ſublimius toto genere formarum ſenſibiliũ;&agens,atque finis omniũ ſenſibilium quodcumque in genere ſenſibilium numeratur, rationẽ habet imperfectam,& poſteriorem omnibus intelligentiis. Nullam igitur rationem nec inſtrumenti, nec primarii agentis,vt cum intellectu potentia comparatur,aliquod ſenſibile ſubit. Inſtrumentum enim, quamuis ſit quiddam imperfectius principali agente: tamen, vt comparatur cum paſſo, quoniam attingit effectum principalis agentis, perfectionem denotat vt alias demonſtrauimus.

Ariſt. loca explicantur. *Cap. VIII.*

MVlta Ariſtot. dicta huic noſtræ ſententiæ fauent,quæ modò diſcutienda proponimus,& primus locus communis, petatur è libro II de Anima, vbi cum propoſuiſſet communem animæ rationem aſsignare,concluſit,ſi aliquod eſt commune,omni animæ,erit vtique primus actus phyſici organici. Verùm cùm actus dupliciter diceretur, alius quidem ſicut ſcientia, alius autem ſicut ſpeculatio; probauit animam eſſe actum, veluti ſcientia; quoniam ſomnus, & vigiliæ, & cunctæ functiones, quæ

iis proportione reſpondent,atque ipſum ſentire,& in telligere,iccirco inſunt animato,quia anima ineſt,vt actus,& generatione præcedit actiones. Ex his tria colligimus, quæ aperte huic noſtro inſtituto ſuffragantur,primum,eſſe actum corporis,omnibus animabus corruptibilium conuenire, dixit enim,ſi aliquod commune oportet dicere in omni anima, quoniam non erant eiuſdem rationis,ſed ſicut operatio multis modis dicebatur,ita & actus, qui erat operum principium multipliciter dicitur.Aliud nanque eſt ſentire, aliud vegetare, & aliud intelligere. Aliud ergo erit principium ſentiendi,intelligendi,vegetandi,& motus. Quare ſi iis animabus dabitur aliqua ratio communis; dicere haud poterimus eam eſſe principium vitæ (quoniam æquiuocum eſſet genus) ſed eſſe actum corporis organici,atque hoc ita animæ hominis, ſicut leonis, & plantæ reſpondet; ridiculaque erit illorum ſententia, qui dicunt id ſenſitiuæ,& vegetatiuæ competere. Pium enim hoc eſt potius inuentum,atque eorum qui dolent vicem noſtram;quale à Chriſto Opt. Max. accepimus. Nam quantum phyſicum Peripateticum decet, & ex verbis Ariſtot. elicimus:id ita de Anima plantæ, ac leonis, ſicuti hominis pro confeſſo accipiendum eſt. Quoniam probat definitionem prius datam, nempe animam eſſe actum corporis,per hoc,quod eſt principium viuendi, id eſt intelligendi, ſentiendi, vegetandi, ac ſecundum locum mouendi. Et quamuis in omnium animalium ſpeciebus, anima has functiones omnes non obeat:à quacunque tamen quæ inerit animam ineſſe, ac viuere affirmabimus;per hoc enim quod eſt principium augendi,dicimus corpus eſſe animatum,ac animam ineſſe, vt actum. Et per principium ſentiendi,

Google

quamuis motum non habeat, vt pinna, dicimus aliquod eſſe animatum. Similiter eſſe principium intelligendi, arguit illud eſſe animatum, ac animam intelligendi principiũ eſſe in nobis, ac illam eſſe actum corporis. Hinc itaq. primũ habemus, quod omnis anima, ſiue hominis, ſiue brutorũ ſiue plantæ, ſi recte verba Ariſt. perpendẽtur, ſit corporis actus. Nec poſteriorũ fuga, non digna philoſopho te moueat, affirmantium aliam eſſe rationem animæ, & aliam intellectus: quaſi ob id Ariſt. ratio communis de anima, conueniat intellectui, vt anima eſt (eſſe ſcilicet actum corporis, & non poſſe eſſe ſine corpore) non autem vt intellectus. Nam ſi hæc diſtinctio vera eſſet; procul dubio Ariſt. diffiniens animam, non rem, quæ eſt anima diffiniuiſſet, ſed ſolum reſpectum & habitudinẽ, quam habet ipſa ad corpus. Quare videndum eſſet, in qua philoſophiæ parte, tractaſſet de re ipſa, quæ eſt anima; cum ſit philoſophi naturalis munus, vt de re ipſa, ac de ſubſtantia animæ diſſeratur. Ad hæc Ariſt. antè quàm animæ rationẽ explicauit, diuiſionem ſubſtantiæ propoſuit dixitque vnã eſſe quæ eſt actus, & vocauit ipſam formam & ſpeciem, ſecundum quam iam dicitur hoc aliquid: alteram verò, appellauit materiam & potentiam, quæ ſecundum ſe non eſt hoc aliquid. Igitur accepit Philoſophus formam (vt eſt actus) ſecundum quam compoſitum, quod ex iis conſtituitur eſt hoc aliquid. Anima igitur, cùm ſit actus, & ſubſtantia, eſt, qua compoſitum eſt hoc aliquid. Quare omnis anima eſt hoc aliquid; & intelligendum eſt, de re quæ eſt anima, non autem de ratione. Amplius, animam eſſe actum corporis, eſt animam eſſe alicuius; id eſt ſignificat eſſentiam ſuam eſſe alicuius, vtputa animati. Sed illud quod eſt alicuius, quamuis non ſit ex

eorum numero,quæ vere dicuntur ad aliquid;tamen eſſentia,& ratio ſua eſt illius,ita quidem vt nequeat eſſe, quin illi inſit ex ſua ratione & eſſentia. Proinde affirmandũ eſt,quod iam ſuperius diximus, omnem animam ſua ratione,ac ſubſtantia ineſſe alteri, vt partem,quæ nec eſſe,nec ſeparari poſsit a ſuo toto. Secundum,quod ex ſuperioribus verbis Philoſophi docemur,eſt, quòd ratio ſaltem notior, propter quam concedit animam eſſe actum corporis, eſt eſſe principium operis, & hæc duo coniunguntur in mortalibus, eſſe principium viuendi, & eſſe actum corporis viuentis,nec vel imaginatione comprehendi poteſt,aliquod eſſe principium viuendi,& non eſſe partem compoſiti,qua compoſitum eſt;quoniam homo non operaretur,quandoquidem principium quo operatur,non eſſet eius eſſendi particula, idque diſſentit a Philoſopho I. de Anima docente quòd homo intelligat per animam, non autem anima intelligat. Tertium eſt, animam eſſe actum vt ſcientiam,& non vt ſpeculationem. Nam ſi intellectus vniretur vt actus, & ſpeculatio, ratio animæ communis non eſſet:quòd eſſet actus,non vt ſcientia,ſed vt ſpeculatio,atque iſtud prædicatum,eſſe actum,vt ſpeculationem, conueniret principio intelligendi. Quæ omnia ſunt abſurdiſsima,ſectæ quidem alicui non addictis.Inde enim ſequeretur, primam rationem animæ non probari per ſecundam diffinitionem,ſcilicet per eſſe principium intelligendi,& mouendi,cùm tamen, vt paulo antè monuimus, Ariſt.omni,qua potuit diligentia, vnam diffinitionem per aliam (tanquam ex principio) demonſtrare conatus fuerit. His accedit, hominem natura non intelligere, nam quia motus principium in nobis eſt,dicimur natura moue

ri,& quia animal in ſe ipſo principium habet motus, animal ſe ſe totū natura mouet. Simili quoque ratione, ſi intellectus de foris accederet ac per operationem nobiſcum connecteretur; non eſſet in nobis ipſis principium intelligendi, nec natura noſtra, minimeque natura intelligere diceremur, non ſecus quàm ſi principium motus in loco non eſſet natura noſtra, non vtique diceremur moueri natura, licet id apertè docuerit Ariſt. lib. VIII. Phyſ.

Alius locus communis è libro II. de Anima. Cap. IX.

ARiſt. partes animæ, ita inter ſe necti docuit, vt vegetalem ab aliis ſeparari contingat: aliæ vero ab hac in mortalibus ſeiungi nequeant, atque id paulò inferius planius expreſsit, inquiens intellectiuum non poſſe eſse ſine ſenſitiuo, & vegetatiuo: Ex his collige argumentum qua ratione ſeparatio vnius ab alia facultate intelligitur, ex aduerſo eadem vnionem intelligemus: ſed ſeparationem intelligimus quoad eſſentiam, cùm vegetalis anima ſine facultate ſentiendi poteſt eſſe, & anima ſenſitiua, ſine facultate intelligendi: ex oppoſito, cum intellectus, aut anima intellectiua, non poteſt ſine vegetali facultate, & ſenſiua eſſe in mortalibus: Vnionem igitur & ſeparationem ſecundum eſſe Ariſtot. intelligendam eſſe docuit, quo fit, vt contra eius ſenſum affirment intellectum vniri ſecundum operationem, cum ſimili ratione, & ſeparationem, & vnionem Ariſtot. intelligat. Atqui ſeparatio non eſt in opere, ſed in eſſe, igitur nec vnio erit per operationem, ſed ſecundum eſſe & in hoc non eſt ambigendum.

Digitized by Google

Alia authoritas eiuſdem ſecundi libri de Anima. Cap. X.

ANimam concluſit Philoſophus, eſſe id quo viuimus, intelligimus, & mouemur primo: atque hinc animam, rationem quandam, & ſpeciem animati corporis eſſe deduxit. Deinde cõprobauit illorum opinionem, qui aſſerebant, animã, neque ſine corpore eſſe, neque corpus aliquod, & eſſe aliquid corporis, ac ea propter in corpore ineſſe, in corpore inquam huiuſmodi naturali; non autem ſicut priores exiſtimabant ad corpus aptandam eſſe. Inde priorem diffinitionem concludens, inquit, quòd igitur actus quidam eſt, & ratio potentiam habentis, vt ſit huiuſmodi, manifeſtum ex his, per hæc enim apertiſsime de monſtrauit Philoſophus, ſi anima eſt actus corporis, non poſſe ſine corpore eſſe, & propterea antiquos laudauit. Valet igitur nexus; eſt actus corporis, igitur ſine corpore eſſe non poteſt, cum igitur ſubſtantia, & ratio animæ, eſt eſſe actum corporis, & aliquid corporis: ſi conceſſerimus, ipſam ſeparari à corpore, vtique affirmare cogemur, aut illam non eſſe rationem, & ſubſtantiam animæ, aut ipſam corrumpi cùm deſinat eſſe actus corporis. Quocirca cum verbis Ariſtotelis nõ cohæret Latinorum placitum, qui arbitrantur diffinitionem iſtam dari ſecundum aptitudinem, non ſecundum actum: non enim laudaſſet antiquos, qui animam ſine corpore haud eſſe aſſeuerabant ſi diffinitio ſecundum aptitudinem ab Ariſt. depromeretur, nam vt vides, hæc apertiſsime repugnant, ſunt & alia verba Ariſt. quæ noſtræ ſententiæ ita aſtipulantur, vt probatione alia nõ indigeat, nempe eodem lib. II. de Anima, cum ab hac ratione excluſiſſet intellectum, quem ſpeculatiuam potentiam nominauit; quòd videatur

aliud genus animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuū à corruptibili;inquit: Reliquæ autem partes animæ,manifeſtum ex his,quod non ſeparabiles ſunt, ſicut quidam dicunt; ratione autem, quòd aliæ,manifeſtum eſt,ſenſitiuo enim eſſe,& opinatiuo aliud;ſiquidem & ſentire,ab ipſo opinari ſimiliter autem & aliorum vnumquodque, quæ dicta ſunt.hæc Philoſophus.Quibus verbis aperte docemur, ſub definitione animæ non comprehendi intellectum,& ſpeculatiuam potentiam,ſed opinatiuum,quod ſuperius dixerat intellectiuum. Oportet igitur, vt de alio intellectu intelligat, quem excluſit ab hac tractatione de anima;& alium opinari illum eſſe, quem in ratione animæ comprehendimus. Qualis autem ſit is aperiemus inferius:in præſentia,& vt noſtro propoſito fauet,ſatis ſit, quòd aliquem intellectum includimus in ratione animæ,qui in nobis eſt principium intelligendi,ac opinandi, quique ratione ab aliis partibus animæ diſtinguitur.Quòd ſi omnis intellectus eſſet æterna ſubſtantia; non ratione, ſed ſubſtantia,ab aliis animæ facultatibus ſeiungeretur, nec verè dicerentur facultates animæ,nec ipſa anima eſſet tota, ac omnes eſſent animæ partes, quia eſſet alia ſubſtantia niſi commentum Auerr.admitteremus, ac fateremur animam eſſe vnam ſecundum aggregationem, & ordinem: quemadmodum Cœlum, & elementa vnum mundum conſtituunt ſecundum ordinem, quaſi vnitas hominis eſſet vnitas ordinis,quoniam anima eſſet vna ſecundum ordinem. Etenim vnitas animati,vnitatem animæ ſequitur: & qua ratione anima vna,eadem & vnum eſt compoſitum. Non igitur homo eſſet vnum animal per ſe.

Ariſtotelis uerba è libro III. de Anima. Cap. XI.

IN Platonicos in Cœlo ſenſus eſſe affirmantes, his verbis argumentatur Ariſt. ſi Cœlum haberet ſenſum (quod quidem ab omni labe immune ponimus) aut eſſet propter melius animæ, aut neceſſarius eſſet corpori. Sed animæ non eſſe neceſſarium, hoc argumento perſuadet; quoniá ſenſus intellectionem moratur, impedimentoque eſt, ad intelligendas intelligentias quin nec corpori vtilis eſt: quoniá nullá aliá ob rationem natura animalibus ſenſus largita eſt, niſi vt cognitioné haberent alimenti, vtq. vitæ neceſſaria ſubminiſtrarent. Eodem argumento ad æternitatem intellectus, & animæ delendam inſtamus. Si anima eſt æterna, igitur ſenſus eſt illi obſtaculo, quòd auertat eam à cognitione ſui ipſius, & ſuperiorum, ſed experimur, & ad cognitionem, & ad corporis functiones ſenſibus opus eſſe, igitur anima noſtra corruptioni obnoxia eſt. Si quidem innumera anteacta ſecula declarant, qualemcunque cognitionem, vel nobiliſsimam, & ſummam, non alio pacto celeberrimos philoſophos, quàm per ipſos ſenſus conſecutos eſſe. Quare Auerr. figmentum de adeptione, & fælicitate, contemnendum eſt, dicendumq. de ea vt de republica Platonis, nam ſicut in illa ſolus Plato habitauit, ita hanc fælicitatem, nemo præter Auerroẽm fortaſsis adeptus eſt, neque adipiſcetur. Quin parum eruditi mihi ſemper viſi ſunt, qui his nugis patrocinantur: atque vt huic noſtro argumento ſatisfaciant, ſuſpicantur ſenſus, vtiles eſſe ad cognitionem rerum materialium, & corruptibilium, licet non conferant ad intelligentiarum ſpeculationem. Hinc ergo manifeſtè intelligis, ſenſus obſtare nobis ad cognitionem intelli-

gentiarum,& intellectus. Accedit,quod per hæc materialia,quæ nobis primo occurrunt,intellectus rationem intelligentiarum rimatur;& per ea ſeipſum comprehendit.Intelligit enim ſeipſum,ſicut & alia,vt docuit Philoſophus,lib.III de Anima.Quo fit,vt ſcientia Metaph.cuius proprium munus eſt prima principia cognoſcere, ab Ariſt. nominetur poſtnaturalis; quoniam ſcilicet rerum ſenſibiliũ ſcientiam primum adipiſcimur,eiuſque ſuffragiis intellectus mentes illas ab omni labe immunes diligenter perſequitur. Quapropter procul dubio cenſendum eſt, actum,ac formam primam, vt propriam noſtri intellectus, eſſe intelligibile materiale:quoniam intellectus materialis eſt. Sed ſcientia rerum ſenſibilium parta facit vt poſtnaturales ſubſtantias intelligat. Atque me ſanè Ariſt. verba ad hanc ſententiam probandam mouerunt lib. X. Ethic. quo loco referens eos, qui aſſerebant, nos cum ſimus mortales,mortalia curare debere: & nullam,nec curam, nec diligentiã adhibere, vt immortalia contemplemur quoniam mortali mortalia curanda ſunt: hancque ſententiam reiiciens, inquit, & ſi mortales ſimus, tamen viuere ſecundum illud,quod in nobis eſt,omni ſtudio debemus. Nam ibi nobis non conceſsit ſubſtantiæ æternitatẽ, ſed ſolum,quòd ſimiles ſimus diis opere,& non ſubſtantia, ac immortaliores reddamur intelligendo; non tamen affirmauit,nos eſſe immortales.quòd ſi anima noſtra, uel intellectus eſſet æternus facillimè illis reſpondiſſet nos eſſe æternos;ſed videtur illis apertè dare,nos mortales eſſe: verùm per intellectum, qui nobis ineſt aliis longè præſtare; quoniã Diis per eius functiones aſsimilamur,& actionibus immortales euadimus. Porrò quod inde deducunt Philoſophus, & Latini,

Si operatio diuina eſt,& ſeparabilis,igitur ſubſtantia eſt æterna:id non accedere ad ſententiam Ariſt.ſuperius iam explicauimus. Verum quoniam hæc operatio,niſi deo agente nõ exercetur.Ob id aliquod æternum in ea inſpicitur. Quòd autem intellectus potentia & ipſum intelligere ab hominis nobiliſsimo temperamento proficiſcatur,lib. IIII. de Partib.animal. Ariſtot. nos docuit,inquiens, ſolus enim animalium omnium homo erectus eſt quoniam eius ſubſtantia, atq.natura diuina eſt,officium autem diuini eſt intelligere,ac ſapere.quod non facile eſſet,ſi vaſta corporis moles aſsideret, pondus enim tardiorem reddit, & mentem, & ſenſum cõmunem, quamobrem concretione,& pondere grauiore opprimente,corpora vergere in terram neceſſe eſt. Hæc Philoſophus:quibus planè verbis innuit,naturam hominis,& ſubſtantiam eſſe intellectum potentia, quo intelligimus, & ſapimus; illumque ex nobilitate temperamenti accedere, nam vt II. libro de Generatione dixit; quoniam homo habet ſanguinem cordis puriſsimũ, ob id temperamentum nobiliſsimum ſortitus eſt, ita enim II. de Partib. Ariſt. cauſam efficientem rectitudinis hominis reddens inquit: homo vnus erectus eſt, quoniam cordis,& pulmonis locum calidiſsimum,& ſanguinis refertiſsimum habet.Igitur cuius cauſa finalis reddita fuit lib. IIII. de Partib.eiuſdem cauſam efficientem attulit,cordis,& pulmonis ſanguinem puriſſimum,& multum.Itaque vtor argumento,quod Ariſtot. in ſuperioribus verbis ſignificauit, huiuſmodi rectitudinis figuræ hominis cauſa eſt naturalis puta calor multus, & puriſsimus cordis: igitur propter finem naturalem:ſed finis eſt intellectus, quæ eſt ſubſtantia hominis diuina,igitur & eius operatio intelligere

Digitized by Google

gere,erit ab eius natura,nulla certè ratione nodus iſte diſſolui poteſt. Nolo tamen ignores Ariſtotelem rebus naturalibus, & caducis impoſuiſſe nomen diuinum: ſed hoc paulò inferius explicabimus,vbi verba Ariſt.interpretabimur lib. II. de Generat. animalib. Habes igitur tria ex Ariſt.verbis,nempe,ſubſtantiam eſſe intellectum potentia,cùm dicat,ſubſtantiam hominis diuinam:deinde,opus diuinum eſſe intelligere quo Diis ſimiles reddimur:Poſtremò à cauſa naturali calore inquam cordis, hunc intellectum nobis connaſci, cuius organum videntur eſſe manus, vt contra Anaxagoram docuit Philoſophus.Sed vt expeditius, & quietius ab homine hæc functio, quæ eſt intelligere,abſolueretur;nõ addidit homini caudam, quòd ſedendo maximè quieſcamus.Optimo igitur conſilio cùm natura ad ipſum intelligere deſtinaſſet hominẽ, cum omnibus,quæ ad finem præſcriptum conſequendum conducebant liberaliſsimè honeſtauit. Non eſt igitur dubitandum,quin hæc omnia duce natura nobis fuerint condonata; quare non aliunde petenda, nec cauſis ſuperioribus adſcribenda ſunt.

Loca Ariſtot.quæ à ſuperiori ſententia diſſentire videntur. Cap. XII.

HIs itaque ſic conſtitutis,hominis animum ſubſtantiam eſſe, qua homo eſt homo, vnam ſecundum eſſentiam, & multam virtutibus, ac facultatibus:Cui quidem propter innumeras facultates data ſunt multa inſtrumẽta,ad abſoluenda opera, vt nutricationem & ſenſus: ſoli autem facultati intelligendi nullum eſt organum;& ob id ſeparabilis dici-

tur,& impaſsibilis,& aliquando incorruptibilis: ſed quoniam iam dictis aduerſantur verba Ariſtot. lib. I. de Anima, illa expendenda ſunt, quæ hoc pacto ſe habent; intellectus autem videtur aduenire, ſubſtantia quædam exiſtens, non corrumpi: maxime enim corrumperetur ab ea, quæ eſt in ſenio debilitate; nunc autem quemadmodum in ſenſoriis accidit. ſi enim accipiat ſenex oculum iuuenis, videbit vtique, vt iuuenis quapropter ſenium non eſt, quia ſuſtinuit anima aliquid, ſed in quo, ſicut in ebrietatibus; & in infirmitatibus, hæc Philoſophus. Deinde ſequenti particula ſubdit. Ipſum igitur intelligere, & ſpeculari marceſcit, aliquo quodam interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt, cogitare autem, amare, odiſſe nō ſunt illius paſsiones: ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet. Quare & hoc corrupto, neque meminit, neque amat, non enim illius erat, ſed cōmunis: quod quidem deſtructum eſt. Intellectus autem fortaſſe diuinum quid, & impaſſibile. Hæc verba, vt Philopono, & aliis placuit, magnum habent momētum; ad æternitatem intellectus conſtruendam, ſed prius quàm progrediamur, ſcire licet literam non vno modo legi. nam, antiquiſsimus codex manu ſcriptus habet, οὐδὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίγνεσθαι, id eſt. Neque intellectus videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens. Codex impreſſus ita, vt ſuperius recitauimus, & manu ſcriptus verior videtur, hoc ſenſu, quòd cum declaraſſet animam non moueri, nec alterari, videatur negare ipſam non innaſci, neque corrumpi, quaſi ſecunda negatio, priorem ſupponat. Sed quoniam Themiſt. hæc verba legit, & impreſſa circumferuntur, nos quoque illam verborum ſeriem ſequemur. Porrò hic omnia, quæ in præſenti particula ab Ariſt. dicuntur in dubium ver-

tit, & primum ſermonis continuationem cum ſuperioribus, nam cum animum non moueri demonſtrare inſtituiſſet, a propoſito alienum fuit dicere, intellectum ſubſtantiam eſſe quandam intus accedentem, nec defecturam: nullus de immortalitate animæ hic diſputandi locus erat, quoniam non erat, hic institutum, quærere, an mortales eſſent animæ partes, ſed ſolum an mori contingat, huius autem dubitationis ſolutionem in alium locum diſtulit Themiſt. cauſamque adfert, quòd Ariſt. diſputandi magis diligentia, quàm ex ſua ſententia id ita protulerit. Philoponus quoq. hanc eandem dubitationem Alexandrum mouiſſe refert, & hoc pacto diremiſſe. Quod cùm in principio libri Ariſt. dixiſſet, quòd ſi nullum opus eſt animæ proprium; ſed omnia ſunt coniuncta, anima ipſa non ſeparatur à corpore. Cumque intelligere ſit opus cõmune, & anima ipſa adueniat intus & incorruptibilis ſit, quærendũ eſſe cenſuit quomodo iſta ſimul cohæreant, intelligere eſſe opus cõmune, & marceſcere, at intellectũ non corrũpi. Sed dicamus Ariſt. cepiſſe intellectũ in confuſo, nec diſtinxiſſe eũ qui eſt in actu, ab intellectu potentia, quoniã non erat hic locus proprius. Sed cùm vulgatus intellectus, dicatur intellectus actu, dixit illum eſſe ſubſtantiam, & intus accedere & non corrumpi intelligens corruptionem quæ fit à cõtrario, quæ nullis partibus animæ accidit: quin nec ſenſus hac corruptione corrumpitur, quoniam id maximè in infirmitate ſenectutis vſu veniret, hoc tamen non videmus, quoniam ſi ſenex donaretur oculo iuuenis, videret vt iuuenis. Atque hoc de intellectu multo magis dicendum eſt cùm ſit facultas nulli organo affixa. Accepit itaque Ariſt. corruptionem celebrem & famoſam, quæ fit à contrario, & intelle-

ctum in confuſo : ſed in tertio de Anima, de intelle-ctu agente intelligi debet,cum nulla corruptione corrumpi, nec à contrario, neque à ſubiecto:cæteræ autem animæ facultates,vtpute intellectus potentia,ſenſus, & vegetalis, corrumpuntur, quidem, ſed non à contrario, cùm nullum habeant per ſe contrarium : verum deſinunt, aliquo interius corrupto,id eſt ſubiecto aliquo corrupto (vt inferius explicabimus) vel intellectu potentia ; ipſe verò intellectus,qui eſt ſubſtantia actu impaſsibilis,& ſolus æternus eſt. Addidit fortaſſe, quoniam adhuc non erat apertum, an omnis intellectus eſſet æternus,ſed diſcutiendum lib. III. Ex his ergo liquet, de intellectu potentia Ariſtot.non diſſeruiſſe eo loco,ſed de intellectus ſignificato famoſiori, vel confuſiori,vt ex Themiſt. patet.

Alius locus è lib.I. de Anima. *Cap.* *XIII.*

PHiloponus ad æternitatem intellectus potentiæ demonſtrandam,adfert Ariſt.verba ex lib. I. de Anima ; vbi habet ; dubitabit autem aliquis de ipſius partibus, quam potentiam habeat vnaquæque in corpore. Si enim tota anima totum corpus continet,conuenit vnamquamque partium continere aliquid corporis, hoc autem aſsimilatur impoſsibili. quam enim partem, aut quomodo intellectus continebit difficile,eſt fingere. Hæc Philoſophus. Ait porrò hunc locum Alexandrum prætermiſiſſe conſultò, quòd nullam haberet conuenientem ſuo inſtituto reſponſionem,ſed ſi quis eum diligenter excutiat, nihil eſt ſanè,de quo Alexander dubitare potuiſſet,ſeparari enim duplici ratione facultatibus animæ contingit: vno quidem modo, vt inter ſe inuicem conferuntur,

puta intellectus cum facultate ſentiendi, & vegetandi,& hac ratione non ſeparantur ſecundum magnitudinem,& ſubiectũ,vt Plato aſſeruiſſe videtur,atq. his verbis rationẽ ſubdidit,quoniã quam partẽ corporis, intellectus contineret, aut qua ratione, difficile eſſet fingere: ſiquidem nullam partem corporis format, nec illam ſibi determinat, ac præſcribit,in qua ſit, & per quam operetur. Igitur non diſtinguuntur ſecundum magnitudinem,ſed ſecundum rationem, vt declarauimus ſuperius ex verbis Philoſ. lib. II. de Anima, cum inquit,ſenſitiuo eſſe,& opinatiuo aliud, ſiquidem,& ſentire,aliud eſt ab ipſo opinari. Similiter autem & aliorum vnumquodque,ſed intellectus,qui eſt in actu,& ſpeculatiua potentia videntur ſeparari; ſicut perpetuũ à corruptibili ab alus facultatibus animæ,vt inferius explicabimus. De iſta itaque ſeparatione Platonem arguere voluit,& ſignificauit ſub typo, ac in confuſo id, quod II. de Anima, & tertio planius expreſsit. Alia eſt ſeparatio ipſius intellectus à ſubiecto,& corpore, quæ conuenit intellectui potentia,vt cum ſenſu comparatur, quæ quidem ſeparatio dicitur ab organo & à corpore, quoniam non vtitur organo, vt iam diximus:nec eſt calidus,nec frigidus, nec paſsibilis aut per ſe,aut ratione organi: atque ob id dicitur intellectus ſimplex,immixtus,& ſeparatus: ſed non æternus, vt audies: ſubſtantia enim (vt voluit Ariſt. VII. Metaph.) ſeparabilis eſt ab accidentibus, quoniam accidentia quidem abeſſe & adeſſe poſſunt permanente ſubſtantia,neque corrupta;puta poteſt homo ab albo,ad nigritiem mutari,ipſo permanente, ſed paſsionibus deſinentibus: nemo tamen ſanæ mentis diceret,hominem propter hoc eſſe æternum. Eſt igitur homo ſeparabilis, non tamen æter-

nus; vt perbelle Aſclepius locum illum ſeptimæ Metaph. melius quàm Thomas, & Auerr. enarrauit: Quare non omnis ſeparatio denotat æternitatem: Eſt & poſtrema ſeparatio; quæ conuenit ſubſtantiæ in actu per ſe exiſtẽtis, & hæc ſola cõpetit intellectui in actu, qui inter intellectus tum potentia tum in habitu ſolus eſt æternus, vt paulò poſt dicemus: & hic ſeparatur, vt perpetuum à corruptibili.

Enarrantur uerba Philoſophi è lib. I. de Partibus animal. Cap. XIIII.

PRimo de Partibus animalium in dubium vertit Philoſophus, an de omni anima philoſophi naturalis munus ſit diſputare: & docuit agere de intellectu ad naturalem non pertinere, quoniam non eſt natura, ſed tantum de illa anima quæ eſt natura; quia ſi de intellectu, de omni quoque intelligibili tractandum eſſet, omniſque alia philoſophia ſuperflua eſſet. Cui ſatisfaciendum eſt, quòd Ariſt. ibi in confuſo de intellectu loquitur: liquet enim ex ſuperioribus duos eſſe intellectus, vnum potentia, & alterum actu. Quòd ſi de omni intellectu tractare pertineret ad naturalem, profectò & de intellectu in actu ageret. Si igitur tractatio de intellectu in actu, per ſe, & proprie ad naturalem ſpectaret; omnis alia philoſophia ſuperflua foret, quoniam tractaret de omni intelligibili. Eſtque hæc ratio probabilis, quoniam ſi per ſe vtrunque cognoſceret, & animam, quæ eſt natura, & finis motus naturalis, nouiſſet vtique omne intelligibile, tam materiale, quàm abſtractum, atque hac ratione, præter naturalem, nulla eſſet alia philoſophia. Porrò hic per philoſophiam intelligit metaphyſicam, non

vt VI. Metaph.vbi per philoſophiam intelligit,ſcientias omnes ſpeculatiuas:contra quàm multi crediderunt. Proinde perperam vertit Theodorus,cum ait præter philoſophiam naturalem nulla eſſet alia ſcientia; multisq́ue præbuit anſam dubitandi, ac errandi, exiſtimātibus quòd Ariſt.omnem ſcientiam de medio tolleret.Porrò aliis verbis idem Ariſt.probauit,ſexto Metaph. vbi habet:ſi non eſſet alia ſubſtantia,præter naturalem, prima philoſophia eſſet naturalis. ſimili ratione,ſi eſt alia ſubſtantia præter ſubſtantiā naturalem,& alia anima præter naturalem animam,& illam proprie cognoſceret naturalis, ſuperflua eſſet vtique alia philoſophia, ideſt poſtnaturalis ſcientia, quoniā poſtnaturalis per iſta principia, ſcilicet per intellectum abſolutū,ſecernitur à naturali. Cōmode igitur inſtatur,ſi iſta ſubſtantia,quæ eſt intellectus, nō eſſet in vniuerſo prima philoſophia, & omnis philoſophia eſſet ſcientia naturalis.Verū ſi reperitur intellectus in actu,& illū cognoſcit naturalis per ſe,vt ſcilicet eſt in actu,& prima ſubſtantia: ſuperflua eſt ſanè poſtnaturalis ſciētia. His ſic declaratis iā patet quòd ad naturalē nō pertinet tractare de intellectu in actu per ſe, ſed per accidēs,prout eſt lumen intellectus noſtri,vel pars animęnoſtrę.Atq.iccirco rati ſunt nōnulli librū tertiū de anima eſſe medium inter poſtnaturalem, & naturalem;vel potius vt ego dicere conſueui, inter naturales,eſt magis Theologicus;quo modo docet Ariſt.medias ſcientias inter mathematicas eſſe magis naturales. Patet igitur, quòd non de omni,ſed de intellectu potentia, agendum ſit naturali, quoniam eſt facultas naturæ,& finis motus naturalis,quem ſanè eſſe naturam hominis & ſubſtantiā Ariſt.affirmauit, vt latius ſupra explicauimus. Neque ex his ſtatuendum eſt in-

tellectum eſſe æternum,quia de eo loquitur in confuſo,idemq.ſenſit Simplicius cùm dixit,quòd ad naturalem pertinet tractare de intellectu participato,quoniam ex eius ſententia,vt participatur,& poſsibilis dicitur,deficit. Sed hoc quòd intereat vt nos iudicamus eſt verum de intellecta diuino & in actu. nam de intellectû potentia,per ſe eſt munus philoſophi naturalis, cùm ſit facultas animæ à natura nobis indita.

Explicantur uerba ſecundi de Generatione animalium.

Cap. XV.

ARiſtot. lib. II. de Gener. animal. quærens, an ſemen & conceptus animati ſint, declarat,animatos eſſe anima vegetali in actu,quoniam creſcit,& augetur conceptus, nec non procedente tempore ſenſiuam animam habet, poſtremo fit homo, omneſque hæ animæ puta vegetalis, & ſenſiua, habent à ſemine actû.Ob id Philoſophus lib. II. de Anima,inquit, ſenſitiui autem prima mutatio fit à generante;cùm autem generatum eſt, abiit iam ſicut ſcientia,& ſentire.Voluit Philoſophus quòd actus primus ipſius animæ ſenſiuæ ſit à generante: verum cùm in lucem prodiit fœtus, à ſenſibilibus excitatus habet ſentire in actu. Intellectus verò potentia eſt datus à natura,& à generante homine: verum cum ſit abſoluta; & ſimplex potentia,& ante ipſum intelligere nullum habeat actum;omnis actus ipſius eſt ab extrinſeco,nempe ab intelligibili,& ab intellectu qui dicitur agens.habet enim ab hoc primum actum, qui eſt,vt ſcientia;habet,& actum ſecundum,ipſum conſiderare,& intelligere. Iccirco Philoſophus cum dixit,ſola

mens

Digitized by Google

mens extrinſecus aduenit, loquitur de intellectu in actu; quoniam omnis actus eſt ab extrinſeco: ab intrinſeco autem eſt nuda illa potentia, nullum habens actum. Nec id dixit de ſenſu: quoniam primus actus eſt à generante, & ſolum ſentire extrinſecus aduenit ab ipſis ſenſibilibus. De intellectu ergo ait, ſolã mentem extrinſecus aduenire: quoniam omnis eius actus vt diximus prouenit ab intelligibilibus exterioribus, & ab intellectu agente. Quod cùm Auerr. non intelligeret, hallucinatus eſt plurimum lib. II. de Anima.

Ex quibus ſic cõſtitutis facillimè poteris Latinorum, & multorum Græcorum in huius loci tractatione ambages effugere, credentium per mentem de foris aduenire, innui, intellectum noſtrum à Deo creari, vel, vt alii interpretantur vniri nobiſcum poſtquàm euaſimus perfecti. ſed hæ ſanè nugæ ſunt, quoniã hic Philoſophus loquitur de Anima vegetali in actu, quã habent intra vterũ ſemen, & conceptus. Et quoniam vbi in lucẽ prodiit infans, iam habet ſenſum in actu; ob id dixit, Procedente tempore, nam & ſi in vtero habet aliquem ſenſum, vt extenſionẽ, & contractionem: cum tamen nõ obtinet vt animal, ſed vt pars animalis. Eſt enim pars matris fœtus, quãdiu latet in vtero, nec propriè, vt animal per ſe mouetur, licet videatur pars animata, vt Græci interpretes notarunt. Cùm igitur de vegetali, & ſenſiua anima dixiſſet, quòd vna ſit in ſemine, quódq. ſenſiua ſit in potentia: ſimili ordine, & de ipſa mente loquitur, docens, in actu ab extrinſeco, nobis accedere, multo poſt tẽpore. Sunt quidẽ omnes iſtæ partes animæ, ceu facultates, in ſemine, & in conceptu; non tamen, vt actus, velut paulò poſt explicauit Philoſophus. Et quamuis infantes dicantur homines; attamen quoniam non habent vſum rationis, ob

Digitized by Google

quæ homo dicitur perfectus, & vere homo Ariſt.ait, eos primo eſſe animalia,& poſtea homines non enim erat illi animus loqui de facultatibus; quoniam habent omnes facultates: ſed de operibus, à quibus denominantur res in actu.equus enim cùm non fungitur ſuo officio non dicitur verè equus, & de aliis ſic quoque cenſendum eſt.Sed,vt res omnis explicetur, & nulla ambiguitas reſtet, operæprecium eſt in memoriam reuocare,quod ſuperius dictum fuit.Cóclusit Philoſopus, animam vegetalem in ſeminibus, & conceptibus eſſe potentia (dico conceptibus nódum ſeparatis,& non actu) ea propter,quia non attrahunt cibum per os, quemadmodum infantes, ſed vt pars animata,& per vmbilicum. Neque eſt accuſandus inconſtantiæ,eo quòd dixerat ſuperius,illam eſſe actu in conceptibus;ſiquidem reuera eſt actu,quia viuunt cóceptus in vtero: ſed quia nó habent viuendi modum perfectum (quemadmodum qui ſunt ſeparati) ob id iam inquit illam eſſe potentia,& non actu. ſubdit deinde, de anima quoque ſenſuali pari modo dicendum eſt,ſuple tu eſſe in potentia;atque etiam de intellectuali,& ratio eſt:quoniam omnes prius haberi potentia,quàm actu neceſſe eſt.Sed aut omnes innaſci cùm ante non fuerint neceſſe eſt: aut omnes, cùm prius fuerint: aut partim quidem, & partim non, & ingenerari,vel in materia non ſubeuntes ſemen maris;vel in eo quidem inde venientes,in ipſo autem mare,vel extrinſecus ingeneratas eſſe omnes, vel aliquas quidem, aliquas non. In huius loci enarrationem, Græci,& Latini Ariſtot.probabilibus rationibus hic vti, non autem ſuam opinionem explicare affirmarunt:Ego verò clariorem ſenſum excipiens, hæc verba ſic interpretor. Vbi Ariſt. antea ſtatuiſſet omnem

animam eſſe in potentia in conceptu: quærit modò an eſſe actuale animæ ingeneretur in ipſis animalibus, treſque dubitationes proponit. Prima eſt, an omnes iſtæ facultates actu præerant, antequàm generarentur in homine, & in cæteris animalibus, & de facultatibus iiſdem numero intelligit. Quærit enim vtrum illæ, quæ innaſcuntur, eædem prius fuerint, & intelligendum eſt actu; an omnes actu pręfuerint, vel nullæ: vel aliquæ ita, aliquæ non. Secunda eſt, an innaſcantur in menſtruo, ſic, priuſquàm adueniat ſemen maris, vel per ſemen maris ingenerentur in mēſtruo? Tertia eſt, an non innaſcantur, nec in menſtruo, nec ſubeant ſemen viri in menſtruo iniectum, ſed extrinſecus generentur? Porrò hæc tertia dubitatio eſt de cauſa efficiente, nempe, an principia iſtarum facultatum in actu non ſint in ſemine patris: ſed extra genituram. Secunda verò eſt de materia, an ingenerentur in ſanguine mēſtruo, vel fiant virtute ſeminis patris, prima demum eſt de ipſa eſſentia actu animæ? An ipſa ſcilicet eadem anima, quæ generatur in corpore actu præextiterit, antequàm generaretur. atque has quæſtiones ſoluens Ariſt. probat primum nullas poſſe præ eſſe, ſine corpore, antequàm videlicet in corpore generentur; ita enim intelligendum eſt ſemper. Adducit autem rationem; quoniam energia, & actio ſemper eſt cum corpore. Igitur actus illarum non poteſt eſſe ſine corpore ante, quia fruſtra eſſet; non ſecus quàm ambulare, quæ eſt actio, nequit eſſe ſine corpore, puta ſine pedibus; quia ambulare eſt actus facultatis impellentis, quæ eſt virtus animæ, & appetentis, & cognoſcentis. Quocirca fieri nequit, vt antè actu præ ſint, ſine corpore. Quin nec poſſunt quidem præeſſe cum corpore actu, quoniam illud eſſet aliud à ſemi-

ne,nam ſi facultas in actu eſſet in duobus corporibus in eo quod præeſt, & in eo, in quo modo generatur; tunc vnus actus duobus corporibus ineſſet,quod fieri nequit. Oportet ergo dicere,ipſum eſſe in ſemine, atqui in eo non poteſt eſſe animæ facultas in actu,ſaltem ſenſus & mens, quoniam ſemen eſt ſuperfluum quiddam,& excrementũ mutati alimenti,in excremẽto verò nulla eſt anima in actu, ſaltem non eſt mens, cùm non habeat organa ad functiones exercendas, concludit igitur tertiam quæſtionem Philoſophus, in cuius ſolutione,prioribus quoque duabus ſatisfit, videlicet,quòd ſola mens extrinſecus nobis adueniat: quoniam cum eius energia, vtputa ipſo intelligere, non cõmunicat actio corporalis, & per actionem corporalem intelligit,eam quæ obitur organo, & qualitate corporea. Hinc apertè habes, quòd per mentem, intellectum actu intelligit, qui quidem antè non præexiſtit: quoniam ante ipſum intelligere nihil eſt,ideſt nullum habet actum : ſed eius eſſentia eſt potentia pura,vt dictum eſt; Nec eius actus eſt in ſemine viri,aut in menſtruo. Proinde tota eius eſſentia totum eſſe nobis accidit extra genituram : eiuſque cauſa eſt lumen diuinum, & magiſter ordinans phantaſmata.
Actus autem animæ ſenſiuæ, eſt ab interiori, & eſt à generante, & non præeſt antequàm generetur. Verùm anima vegetalis cùm ſit cæteris imperfectior, in ſemine, & in conceptibus eſt actu : tamen quoniam non operatur, vt cum animal iam vterum eſt egreſſum,ſumit nutrimentum ab alio per os, & proprio inſtrumento : ob id monuimus ſuperius, Ariſt. dixiſſe eum eſſe in potentia. Mentem autem humanam cùm omnem actum habeat à cauſis quæ ſunt extra genituram,ſolam excepit,dicens extrinſecus aduenire; addi

Digitized by Google

ta ratione, qua probauerat nõ poſſe alias animas actu præeſſe ante generationem,quoniam actus ſuus eſt ſeparabilis à corpore. Cum ergo mens nihil ſit antequam intelligit,de ipſa non cadit quæſtio an præſit in actu,antequàm generetur; quia eſſentia ſua, & ſua ſubſtantia ſequitur generationẽ, in genitura verò & conceptu,ſolum eſt in potentia perinde atque in infantibus,quandiu vſu rationis carent. Quare in hoc diuinauit Gaza cum νοῦν mentem vertit, quoniam mens iuxta ætatem augetur, & decreſcit. Intellectus enim facultatem potius ſignificare videtur. Sic magnus medicinæ pater Hippocrates,mentem ægrotare dixit in Aphoris. fiunt enim homines amentes, & dementes, qui vel conſilio abutuntur, aut dolores non ſentiunt. Optima igitur ratione νοῦν Gaza mentem transfert,& non intellectum: cum intellectus potentia vnam cum homine generetur: Mens autem, quæ ſignificat intelligentiam in actu, ſola extrinſecus adueniat:& hæc ſanè interpretatio longe melius Ariſt. verbis reſpondet quàm illa de agente intellectu.Sed quoniam Ariſt.dixit illam ſolam eſſe diuinam;& nomen diuinitatis,poſteriores philoſophos omnes torſit,ita vt crederent,eum per hoc mẽtem æternam eſſe ſignificare,quò eius ratio ſibi pateat, & quod omnibus aliis philoſophis noſtri ſæculi fuit obſcurum, tibi planum fiat:ſcire licet,duo nomina, diuinum, & demoniacum, Philoſopho in vſu eſſe. Diuinum porrò vocat,quod à Cœlo natura inferior, generationi obnoxia,participat, hæc autem virtus ab Alex. dicitur natura ſecunda.Quæ quidem,vel aduenit poſtquàm res genita eſt particulari generatione, & propria: vel in generatione miſcetur cum propria forma,& natura.Puta in elementis cum generentur à Cœlo,genera

Digitized by Google

tur forma, in igne quidem perfectior, in cæteris autẽ imperfectior, prout magis, minuſuè à motu Cœli diſtant; non tamen circa formam aliquam aliam virtutem à Cœlo participant, vel ſi aliquam illis Cœlum infundat, minima ſanè ea cẽſenda eſt, & obſcuriſsima. Animata verò corpora diuiniora videntur eſſe, quia præter elementa, & eorum temperaturam, inſita eſt quædam virtus nobilior. Quo fit, vt dicamus Solem, & hominem generare hominem: quoniam duę videntur in animalibus & præcipue in homine, à Cœlo & patre, virtutes profectæ. In ipſis igitur corporibus generationi, & corruptioni obnoxiis Ariſt. diuinitatem maiorem cognouit, vel minorem. Inquit enim eodem capite: ſed enim omnis animæ ſiue virtus, ſiue potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quàm ea, quæ elemẽta appellantur. Verùm prout nobilitate, ignobilitatéue animæ inter ſe differunt. Ita, & natura eius corporis differt. Hinc apertè accipiendum, omnem animæ facultatem, eſſe in corpore: vel corpora, quo ad temperaturam, eſſe magis, minuſue perfecta. Et quoniam omnium nobiliſsima eſt mens, vt patet primo de Anima, iure optimo dixit idem Ariſt. lib. II. de Partib. animal. quòd ex omnibus animalibus nobis cognitis, hominum genus ſit diuinitatis particeps, aut omnium maximè. Cùm igitur animalia duas naturas ſortiri videntur, à Cœlo vnam, & à propriis cauſis alteram; illam diuinam Ariſt. ſolitus eſt appellare. Eſt autem maxime homo animal diuinũ, ob nobilitatem virtutis ratiocinãdi, cuius opus nempe intelligere, perquàm ſimile eſt diuinis functionibus. Atque ita Ariſtotelem intelligas lib. X. Ethic. cum inquit, mentem ſuperare hominis naturam, vbi ipſa actu intelligentiam, & ſpeculationem voluit ſu-

perare hominis naturam, nam prout animal politicum eſt,homo,circa particularia verſatur,& circa ea, quæ mutantur:ſed cum ſpeculatur æterna,videtur naturam ſuam tranſcendere.Perperam ergo complures locum illum interpretati ſunt,qui per intellectum, facultatem intelligendi ſignificari credunt: & preſsius Ariſt. verba inſpicientibus ac inter ſe conferentibus noſtra verior erit enarratio.Sed vt ad verbum diuinitatis, à quo defluxit oratio, redeamus, ex ſuperioribus, omni dubitatione procul, affirmandū eſt, iuxta Ariſtot. dogma,non omne diuinum eſſe æternum. Quod ſanè docuit etiam lib. I. de Partibus, vbi in omnibus animalibus eſſe naturę numen & honeſtum pulchrumque ingenium, atque in illis aliquod diuinum apparere, probat ex Heracliti ſententia, qui in minimis,& viliſsimis quoque locis, Deos non deeſſe ſentiebat, omnia enim ex Heracliti ſententia, ſunt Diis plena. Eodem planè modo,finem à natura ſibi in omnibus generationibus propoſitum,nominauit diuinum,lib.primo Phyſicæ auſcultat: cùm ait,exiſtēte Diuino quodam, optimo, & appetibili. vbi Philoſophus omnem formam dicere videtur eſſe optimam, ac diuinam;quam materia expetit, vt aſsimiletur prime ſummeque diuinæ, quomodo etiam Simplicius perbellè adnotauit. Aliquando,vt libro de Diuinatione per ſomnium, Ariſt. vocat naturam hominis δαιμονίαν, & non diuinam; quoniam cenſet,ſomnia non immitti cœlitus, ſed hominem diuinare. Volui hæc prolixius quàm fortaſsis oportebat enarrare, vt nomen diuinitatis ad Ariſt. mentem aſſequendam non ſit tibi impedimento.

Verba eiuſdem capitis libri ſecundi de Generatione animalium quæ in dubium uocantur, diſcutiuntur.

Cap. XVII.

SVnt tamen qui animæ mentiſque æternitatem, rurſus ipſis Ariſt. uerbis aſtruere conantur, cum inquit, corpus, autem genituræ, in quo ſemen animalis principii contentum unà prouenit, partim ſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur; qualis eſt, quæ mens appellatur; partim inſeparabile, hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur, uerſumque in ſpiritum euaneſcit. Hic enim uidetur dicere, illam animæ partem, quæ mens uocatur, ſeparabilem, & diuinam eſſe, quaſi neceſſario ſequatur, interituram non eſſe. Sed hi vmbram uerborum ſequuntur; cum ſenſus verborum Ariſt. talis ſit. Docuerat in ſuperioribus Philoſophus, omnem animæ facultatem in corpore eſſe: deinde ſemina habere potentiam & facultatem, qua ſint fœcunda; quæ nihil aliud eſt, quàm ſpiritus animalis: cuius natura, cùm cœlitus inſeratur, diuinitatem præ ſe fert, & quoniam varia producit organa, videtur habere quandam cum elemento ſtellarum ſimilitudinem, quemadmodum enim à Cœlo cuncta proficiſcuntur in mundo inferiori, varia quidem illa, multiformiaque; ſic ſimilitudine quadam reſpondere videtur virtus illa ſeminis, Cœlo, quòd varia, difformiaque organa in animali vi ſua producat. Dehinc cóncluſit illum eſſe ſpiritum animalem, & non igneum; ex eo ſcilicet quòd illius officium ſit generare, ignei autem deſtruere. Demum ſubdidit, animam omnem contineri potentia in ſemine, & inquit. Corpus autem genituræ, hoc eſt illud, quod

quod à patre decidit,ſemen,in quo vnà prouenit, ſemen principii animalis,ideſt animæ, quæ principium animalis eſt,igitur ſemen eſt principium animæ, quæ dicitur principium animalis. rurſus hoc principium animalis, quæ eſt anima, in duas partes diſtribuit,& oportet addere relatiuũ,vt adnotauit Michaël Epheſius,vt plana ſit verborum ſeries. Quod principium in ſemine contentum,ideſt,quæ anima in ſemine contenta in potentia, partim ſeparabile à corpore eſt dico in iis in quibus diuina pars comprehenditur,id eſt in ipſis hominibus in quibus comprehenditur per ipſum intelligere facultas animæ, quæ mens dicitur, vt ſuperius explicauimus, partim hoc principium eſt inſeparabile, anima ſcilicet ſenſiua,& vegetalis, corpus autẽ ſeminis, in quo diximus contineri animam, cum ſit aquæ & aëris naturæ (diſſoluto ſpiritu, in quo erat vis genitalis) diffluit,& redditur aquoſum, propterea non eſt quærendum, an foras exeat, id eſt egrediatur,vel remaneat,vt pars corporis generandi, quemadmodum nec de coagulo,in cuius virtute, & ſpiritu eſt vnire lac;quoniam corpus coaguli diſſoluitur, & non fit pars caſei, & lactis, ſimili ratione in ſpiritu ſeminis,eſt omnis anima,tam illa,quæ dicitur mens, & ſeparabilis eſt & principium generationis animalis, quàm illa, quæ eſt inſeparabilis, ſiquidem ſi in virtute animam non contineret, non vtique haberet facultatem generandi animal. Eſt enim ratio in promptu, cum animal per animam ſit animal, actu ergo per illud; per quod eſt principium animæ, generatur animal. homo itaque continetur virtute in ſemine: quoniam omnis animæ hominis facultas eſt in ſemine,cum apertè dicat hic Philoſophus, in eo prouenire ſemen principii animalis,

ideſt ſemen eſſe animæ principium: quam quidem animam diuiſit in duo membra. Proinde conſonum erit verbis Philoſophi, ſi dixerimus mentem non ea ratione eſſe ſeparabilem: quia non continetur in ſemine, ſed dici ſeparabilem, quoniam eius actio non communicat cum actione corporea, hoc eſt, vt explicauit libro tertio de Anima, non vtitur organo, nec eſt calida, aut frigida, hic enim ſenſus, mentem eſſe in potentia in ſemine, ac generari in corpore, & eſſe ſeparabilem, quem nos ſuperius interpretati fuimus, adridet verbis Ariſtot. Nec mea quidem ſententia aliter hic locus intelligi poteſt.

Ariſtotelis verba alia, ex ſecundo de Anima expenduntur. *Cap.* *XVII.*

IOannes Grammaticus ſenſit verba Ariſtot. ex lib. II. de Anima, Alexandrum ita torſiſſe, vt nullam poſſet interpretationem reperire iuxta ſuum dogma, ſunt autem hæc. De intellectu autem, & cõtemplatiua potentia nihil adhuc manifeſtum, ſed videtur alterum genus animæ eſſe; & hoc ſolum ſeparari poteſt, tanquam perpetuum à corruptibili, reliquæ autem animæ partes, manifeſtum ex his quoniam non vt quidam dixerunt, ſunt ſeparabiles, ſed ratione. Hęc Philoſophus. In his ſanè verbis ſe ingerunt tres difficultates. Prima. cur Ariſt. dixerit, nihil eſſe manifeſtum de intellectu, potiusquàm de aliis; cùm particulatim de nullis facultatibus adhuc differuerit, ſed paulò inferius ſigillatim illas doceat; dictum igitur Ariſt. ſignificare videtur, in communi animæ diffinitione, intellectum non contineri; quod ſequentia quoque nobis ſignificant, cum inquit. Quòd videtur eſſe al-

terum genus animæ. Quare in hac diffinitione, quæ eſt animam eſſe actum corporis phyſici organici, potentia vitam habentis, intellectus non comprehenditur: quoniam ſuperius quoque dixerat, nullius corporis eſſe actum. Adhæc idem infra ſentire videtur, cùm inquit, de intellectu ſpeculatiuo eſt alia ratio, vbi à ratione aliarum partium animæ, intellectum quaſi ſecludit. Præterea, cùm de intellectu noſtro quem vocat ſpeculatiuum, aperta ſententia eſſe videatur: ſpeculatiuus enim & practicus noſtri intellectus ſunt differentiæ: ambiguum hic eſſe videtur dictum Ariſtot. quia paulò ſuperius dixerat, intellectiuum non poſſe eſſe ſine ſenſitiuo, videlicet, vt modo affirmat ipſum eſſe ſeparabilem, veluti perpetuum à corruptibili. Poſtremò cùm paulò poſt, inquit. Reliquæ autem partes animæ manifeſtum ex iis, quòd ſeparabiles non ſunt, ſicut quidam dicunt: ratione autem quòd aliæ, manifeſtum eſt, ſenſitiuo enim eſſe, & opinatiuo, aliud; ſiquidem, & ſentire ab ipſo opinari, ſimiliter autem, & aliorum vnumquodque quæ dicta ſunt. Hæc Ariſt. Quibus apertè nobis ſignificat, opinatiuum eſſe aliud à ſenſiuo, ratione. Sed facultas opinandi, vt patet tertio libro de Anima eſt intellectus. quare cùm iam ratione diſtinguat opinatiuum à ſenſiua facultate; & ſuperius dixerit, ſecundum eſſe non poſſe ſeparari intellectiuum à ſenſiua facultate; denique poſtremò affirmat de ſpeculatiuo intellectu eſſe aliam rationem: quomodo hæc verba Ariſt. inuicē cohæreant, omnes peripateticos plurimum agitauit, illoſque in magnā controuerſiam, & diſſentientes opiniones diſtraxit.

Sed vt has difficultates diſſoluamus, & hæc plane intelligas; opus eſt vt dubitationes, quas ſuperius Ariſt. propoſuerat de Anima, in memoriam reuocemus,

Digitized by Google

prima quidem fuit: An omnes ſint animæ, vel partes animæ, vt ſenſiua, vegetalis, motiua, appetitiua, & intellectiua. Amplius, an ſint hæ partes, vel facultates ſeparabiles loco, vel ſubiecto? Porrò, autem, cùm planum fuerit, an ſint ſeparabiles loco, vel ratione, manifeſtum quoq. fiet, quæ fuerint animæ, quæue partes. Nam intellectiuũ cum ſit inſeparabile à ſenſiuo, & vegetali, ſemper erit animæ facultas: ſenſiuũ quoq. ſemper erit facultas cum ſit à vegetali inſeparabilis. Vegetalis verò in plãtis erit anima, plures habens facultates quoniam ab aliis ſecernitur. Atque motiuum ſimiliter ſemper facultas erit, & appetitiuum. Sed dicitur anima ſenſiua, non quòd ſit alia anima à vegetali in animalibus ratione carentibus: ſed ita nominatur à præcipua facultate. Similiter, & in homine intelligendum eſt, quod intellectiua non eſt alia anima à ſenſiua, & vegetali, cùm ſint vnius animæ facultates; verum dicitur rationalis, à præcipua eius facultate, qua à brutis diſtinguitur. Quare ſola vegetalis ab aliis ſeparari poteſt, cæteræ verò à vegetali non ſeparantur. His explicatis ſatisfacit Philoſophus ſecundæ quæſtioni, an ſeparabiles ſint loco, vel ratione, inquiens quòd cætere ratione ſeparentur, ſed vegetalis ſeparatur ſubiecto, cùm cõſtituat plantam, in qua nec ſenſiua, nec ratio viſitur. ſed de intellectu ſpeculatiuo, quomodò à cæteris animæ partibus ſecernatur, nondum explicatum eſt: nõ enim dicere poſſumus ipſum loco, & ſubiecto ſeparari, quoniam nullum ſubiectum informat, nec eſt aliqua corporis particula. Quin nec ratione diuidi aſſerendum eſt, cùm non communicet, nec cum actione corporis, nec verſetur circa ſenſibilia, ſed circa æterna, & vniuerſalia. Quo fit, vt videatur eſſe aliud genus animæ, & quamuis Alexandro placeat,

illud eſſe additum, ſicut perpetuum à corruptibili: inde tamen, etiam ſi admittatur non credendum eſt, illum eſſe æternum, ſed dictum ita, quaſi multis videatur, intellectum ſpeculatiuum ſeparari à cæteris animæ facultatibus, quemadmodum perpetuum à re caduca: non autem quòd id tanquam indubitatum affirmandum ſit, vt tertio de Anima explicabitur. Quòd ſi verba Ariſt. ad intellectum agentem referenda ſunt vt Alex. probauit, dicendum puto, quòd in confuſo loquutus fuerit de intellectu, & ſpeculatiua potentia, nempe libro tertio explicaturus, qualis ſit intellectus in actu; & quomodo, cùm vniuerſalia intelligimus, nobis, vt lumen, & habitus accedit. Proinde conciliandа ſunt Ariſt. verba hoc pacto, quòd cum ſuperius dicit. Intellectiuum non poſſe eſſe ſine ſenſiuo in mortalibus, de facultate intelligendi accipiendum id eſſe, quę nominatur intellectus potentia: quippe, quę ſine ſenſu eſſe non poteſt. Cùm autem opinatiuum non poſſe ſeparari à ſenſiuo aſſerit ad intellectum practicum referendum eſſe, qui cum ſenſu & in eſſe, & in opere cõmunicat. At intellectus ſpeculatiuus, quem Ariſt. pro agente, vniuerſalia nobis aperiens, accepit, longè aliud genus animæ eſſe videtur, vt explicatius nos docebit libro tertio. Nec aliam equidem iudicauerim eſſe huius loci ſententiam, præter hanc.

Verba Ariſtotelis in libro tertio de Anima enarrantur.

Cap. XVIII.

PRopoſitum erat Ariſt. de parte intellectiua duo tractare (nulla iam habita ratione an intellectus à cæteris animæ facultatibus, ſeparetur magnitu

Digitized by Google

dine,vel ratione)duo inquam propoſitum erat docere de parte animæ qua anima intelligit,& ſapit,nempe quam habeat differentiam cum ſenſu,& quo pacto tandem fiat ipſum intelligere:quare ſubdit,ſi igitur intelligere eſt, ſicut ſentire; aut pati aliquid erit, aut aliquod aliud tale. Hinc Ioannes Grammaticus colligit, intellectum eſſe impaſsibilem, & æternum: ſed longa errat via. Cum enim Ariſt. duo propoſuiſſet,aut pati,aut aliquid aliud:tam de intellectu,quàm de ſenſu probat,ipſos eſſe impaſsibiles,vt ſcilicet ſunt facultates cognoſcendi. Verum differentia, qua in paſsibilis eſt ſenſus,& qua intellectus, inferius Ariſt. explicat,vbi docet,quare cognoſcentes facultates,vt mens, & ratio ab obiecto non patiantur vera paſsione,quemadmodum antiquiores cenſuerunt: ſed ſint ſuſceptiuæ non rerum materialium, ſed ſpetierum; potentiaque illa,quæ recipere debent,& non illa,hoc eſt non habeant actum aliquem quo obiectum recipiant:cùm non fiat a ſimili ipſa cognitio. Et in hoc ſimilis eſt ſenſus dianoëticæ virtuti, quemadmodum enim ſenſus eſt potentia ſenſibile, & intellectus eſt potentia intelligibile, & reciprocantur: vt ſenſibile ſe habet ad facultatem ſentiendi,ita & intelligibile ad dianoëticam.Non igitur inferre,ex his Ariſt.dictis,licet, facultatem intelligendi eſſe immortalem. quoniam,vt optime adnotauit Themiſtius lib. I. de Anima,ſi intellectus eo quòd impaſsibilis eſt, eſſet æternus; cogeremur,& facultatem ſentiendi æternam eſſe affirmare. Nam inquit Philoſophus eodem lib.I. de Anima,intellectum impaſsibilem eſſe.ſi enim pateretur,maximè in ſenio afficeretur:quod facultati ſentiendi non accidit, & omnium minimè, intellectui, quoniam ſi ſenex oculum iuuenis acciperet, videret

vt iuuenis. Hinc apertè habes, impaſsibilitatem, communem ſenſui, & facultati intelligendi eſſe: differunt tamen aliqua ex parte, vt libro tertio de Anima Ariſt. docet: ſed ſi quis mihi obiiciat; ſi intellectus aboletur, igitur neceſſario patitur. Satisfaciédũ eſt, quòd vis intelligendi, & ſentiendi, vt ſunt facultates cognoſcendi, Ariſtot. in libris de Anima aſſerit impaſsibiles Verum, vt ſunt facultates animæ informantis ſubiectum corruptibile, abolentur, non quidem à contrario, vt ſuperius adnotauimus, ſed quia ſubiectum, cuius anima erat actus, marceſcit, atque iccirco omnes facultates pereunt. Cùm autem aduerſarius inſtat, ſi intellectus definit; igitur patitur. Dicas, quòd non patitur, vt facultas cognoſcendi, ſed anima, cuius dianoëtica eſt pars. Cumque anima, ſit actus corporis corruptibilis, ob id omnes facultates concidunt. Proinde ſub hac ratione Ariſt. partem animæ qua cognoſcimus non tractauit, quoniam ſenſu hominem corrumpi patebat: atque ita omnia, quæ cum homine, quales ſunt partes hominis, oriebantur, cum homine quoque aboleri neceſſarium erat.

Diſcutiuntur poſtrema uerba Ariſt. libri tertij de Anima. Cap. XIX.

ARiſtoteles in animo habẽs, de parte animæ qua intelligimus, & ſapimus, quæ eſt virtus dianoëtica, duo nos docere, quam ſcilicet habeat differentiam cũ virtute ſentiendi, & quomodo fiat ipſum intelligere: vt priori, poſtremum calculum imponeret, & omnes ambiguitates explicaret, primum, docet qua ratione hæc duo ſimul de intellectu verè dici poſ

ſunt;intellectum ſimplicem eſſe,impaſsibilem , & nihil cum aliquo commune habere, ſicut dixit Anaxagoras:& quo pacto de eodem rectè affirmare poſſumus,eum intelligere;ſi intelligere , eſt pati quoddam ab intelligibili.Deinde,an intellectus intelligibilis ſit vtiq.ambiguũ videtur . Si enim intelligibilis eſt,non ſecus quàm alia intelligibilia intelligitur, & vt ipſi ſanè intellectui ineſt poſſe ſeipſum intelligere, ita & alia haberent intellectum,hæcque eſt vna pars diſiunctiua,quæ infertur,additque rationem, quoniã intelligibilia ſunt ſpetie,ac ratione eadẽ.Altera pars diſiunctiue eſt aut neceſſe eſt affirmare , quòd ſit aliquod mixtũ ex intellectu,& intelligibili,ita vt faciat eũ eſſe intelligibilem vna pars mixti; & alia pars faciat illum eſſe intellectum.Porrò hos nodos,ita diſſoluit,primũ quidem , quòd intellectus non dicitur paſsibilis : ſed ſolum habet hoc ſimile cum paſsione quòd ſit in potentia ſpecies;& antequam intelligat,nullum intelligibile ſit,vt ſuperius dixerat,quòd eius natura eſt potentia.Alterum vero,quòd ipſe intellectu ſit intelligibilis,ſicut intelligibilia;interpretantur ii,qui intellectum eſſe æternum defendunt, hoc, ſicut intelligibilia ideſt ſicut intelligentiæ , quæ ſeipſas comprehendunt : ſed ridicula eſt hæc interpretatio,non enim reſpondet dubitationi,dixerat enim vel alia intelligibilia haberent intellectum:aut eſſet,quoddam mixtum ipſa facultas intelligendi in quo eſſent duæ partes, quarum altera eſſet intellectus, altera vero intelligibilis intellectus . Atqui dicere eſſe intelligibilem , vt ſunt intelligentiæ,eſſet aliquod ad explicationem adductum magis ignotum.Quocirca Ariſt.reſpondens dubitationi,inquit quòd ipſe intellectus eſt intelligibilis , ſicut intelligibilia materialia, quæ ſicut intelliguntur

guntur

guntur, cū fiant actu, ſimiliter intellectus intelligit ſe ipſum cùm eſt factus in actu, vt perbelle interpretatus eſt Alexander. Addidit deinde rationem, qua vtraque pars diſiunctiue ſoluitur, dicit enim: in his quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: ſcientia namque ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt. Ex his patet, quare alia intelligibilia materialia nō habeant intellectum, quòd eſſe eorum ſit in materia in actu, & ſolum ſunt intelligibilia in potentia: ſed intellectus factus in actu, qui idem eſt, & ſpeculatiuus, hoc eſſe actuale ſuum, vt ita dicam habet ſine materia; & quia nulla actio corporalis cum hac actione ſpeculandi communicat, vt ſuperius dixi, propter hoc idem eſt intellectus, & res ipſa intelligibilis. Proinde non ſequitur primum incommodum, quòd alia intelligibilia haberent intellectum; quia eſſe actuale illorum, eſt eſſe materiale, ſic nec alterum, quòd eſſet aliquod mixtum ex intellectu, & intelligibili: is quoniam in his, quæ ſunt ſine materia in actu non eſt mixtio. Sed illud idem, quod eſt intellectus, eſt & intelligibile. Atque iccirco vt rem aperiret, vt nos quidem ſentimus, adfert exemplum de ſcientia ſpeculatiua, & ſcibili: quo cauit, ne nos intellectum, de quo eſt modò ſermo, in numerum intelligentiarum reponeremus. Et animaduertit in his Alexander, intellectum noſtrum dum ſpeculatur aliquod intelligibile, intelligere ſeipſum, cum fiat ipſum intelligibile, quod intelligit, quaſi intellectum nomine ſcientiæ nobis ſignificarit Philoſophus. Nempè cum ſpeculatur intelligibile, fit illud intelligibile, & ſic ſcientia eſt idem cum ipſo intelligibili, modo intellectus intelligens dicitur ſcientia. Quibus ſic explicatis. Ioannes Grāmat. non habet, quod tota mente

petebat, dianoëticam eſſe æternam, per hæc verba Ariſt. ſed ſolum intellectum ſpeculatiuum eſſe ſeparatum à materia. Quæ omnem dubitationem tollunt, & integra verba Ariſtotelis, ac illorum ſeries ſeruatur.

De intellectu, qui dicitur actus, diſputationem aggreditur. Cap. XXI.

CVm inueniſſet Philoſophus, in anima hominis eſſe quandam facultatem, qua poſſumus intelligere, & cũ nulla potẽtia fruſtra ſit: ſed omnis vt ad actum perfectionemq́ue veniat neceſſe ſit, & idem non poſsit eſſe potentia, & actus: conſonum rationi videbatur, probare in anima duas differentias eſſe, potentiam, & agens. Ad quod vniuerſale fundamentum veluti cauſam aſſumpſit: & quemadmodum tum alibi, tum libro primo Phyſicæ auſult: demonſtraturus ſcientiam naturalem aggrediẽdam eſſe, ex principiorum cognitione, ceu cauſam accepit, quòd in omni ſcientia cognitio rerum fiat, ex principiorum intelligẽtia; ſimiliter præponit hic vniuerſale, quaſi proloquium, & inquit. Quoniam in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi, id autem eſt, quòd potentia omnia illa. Alterum autem cauſa, & factiuum, quòd faciẽdo omnia, vt ars ad materiam patitur, neceſſe eſt, & in anima has ineſſe differentias. ex quibus ſanè verbis duo apertè indicantur, nimirum quòd intellectus agens, & intellectus potentia, ſint partes animæ, & non accedant de foris. deinde, quòd ſi agens eſt æternum & intellectus potentia æternus ſit. Poſteriores philoſophi plura alia

Digitized by Google

eliciunt ex his Ariſtotelis verbis, puta quòd intelle-ctus iſti potentia,& agens, ſint duæ ſubſtantiæ æter-næ: amplius, quòd ex his duabus ſubſtantiis anima intellectiua componatur. Non deſunt quoque qui opinantur, quòd quemadmodum in anima intellecti ua duas differentias Ariſtot. agnoſcit: ita res ſe habeat & in ſenſu, ſitq́. ſenſus agens,& patiens. Quæ omnia ex ignoratione,& obſcuritate verborum Ariſt. profe cta ſunt. Porrò Simplicius ratus duos eſſe intellectus agentes, de intellectu agente participato ab anima mo do Ariſt. verba facturum arbitratur. Sed tu omnes er-roneas iſtas vias, veluti ad hanc tractationē aſſequen-dam non modicum impedimentum adferentes, deui-ta;& apertiorē ſenſum, quem modo ſummatim enar-rabo, omni qua potes diligentia ſectare. Cum Ariſt. abſoluiſſet tractationem de facultate intelligēdi (quę intellectus potentia nominatur) velletque intelle-ctus omnes differentias explicare, vt cauſas ipſius in-telligere in vnū cōgereret: de intellectu in actu in præ ſentia docet duo, quodnam opus,& quæ ſit eius eſ-ſentia, vt omnem differentiam ab ipſo intellectu po-tentia nanciſceremur. Verùm de intellectu potentia, dixerat eam eſſe partem animæ, qua intelligimus,& ſapimus, adhæc qua ratione per intellectum potentia intelligeremus aperuerat, docens nos intelligere per receptionem ſpeciei, perinde vt ſentimus per ſuſce-ptionem ſpetiei, poſtea ex his, quæ dixerat, quæque ſenſui patebant, videlicet nos omnia intelligere pro-bauerat rationem eius & eſſe, longè differre à ſenſu, ipſumque intellectum potentia nō eſſe commixtum cum organo, atque ita, eſſe ſeparabilem concluſit, co gnito ipſius intellectus potentia,& opere,& ratione: ſimiliter & de intellectu, quem vocat factiuum, pri-

mo opus, deinde ſubſtantiam aſſequitur: opus quidem eius eſt vt omnia intelligibilia materialia, quæ ſua natura, ſunt potentia intelligibilia, & non actu faciat intellecta. Nec ſecus quàm intellectum potentia, cum omnia intelligat, ac recipiat, ipſum eſſe immixtum, impaſsibilem, & ſeparabilem, rationi conſonum eſt: atque eo magis, quo agens ſemper eſt nobilius paſſo. Tribuit ergo ei nobilitates intellectus potentia, ſeparabilitatem, immixtionem, & impaſsibilitatem. Sed quoniam eſt agens diuerſum ab animę ſubſtantia, ſubſtantia actu exiſtens; ob ſuam ſummam nobilitatem non aſsimilauit eum agenti naturali; ſed formæ nobiliſsimæ, & lumini, vt modum nobiliſsimum agendi nobis aperiret, comparauit. Sic nos ad ſubſtantiam eius cognoſcendam deducens, ipſum inquit eſſe ſeparatum ſolùm eundemque ſolum immortalem, & perpetuum. Proinde in multis conuenit cùm intellectu potentia, attamen pluribus quoque ab eodem ſecernitur; conuenit quidem in ſeparabilitate, in immixtione, & in paſsibilitate; ſed differt, quòd ille ſit potentia, hic verò actus, quódque ille ſit facultas animę, qua anima cognoſcit, & fiat intellectus in actu, hic autem ſubſtantia faciens intellectum, ſeparatus eſſentia & eſſe, cùm intellectus potentia dicitur ſeparatus vel ſeparabilis, ſecundum rationem. conſultò igitur addidit Philoſophus ſeparatus autem eſt, ſolum hoc, quod quidem eſt. Significans inter intellectus hunc eſſe intellectum, qui ſit ſubſtantia, & actus ſolum ſeparatus ſecundum rem, & ſecundum eſſentiam. Mens autem noſtra, & intellectus potentia, ratione tantùm eſt ſeparabilis. Poſtremò inter intellectus, hic ſolus immortalis eſt, & perpetuus: non enim ad intelligentias iam refert intellectum agentem: ſed

Digitized by Google

ad hominem,cuius reſpectu agens dicitur, cum actu intelligit;& vt cum intellectu potentia confertur,dicitur ſolus immortalis , & in hoc Ioannes Grãmaticus hallucinatus videtur . His hoc pacto explicatis, cum aduerſarius,ex verbis Ariſt.intellectum agẽtem eſſe animæ differentiam dicentis;aſſerit eum eſſe partem animæ intellectiuæ:ei hoc nulla ratione eſt cõcedendum,ratio nempè in promptu eſt,quia neceſsitatem ponendi in animæ operibus intellectum agentem,declarans Ariſt .cauſam prius apponit: quoniam in omni natura,hoc eſt in iis rebus,quæ natura ſubſiſtunt,& vbi res ſunt in potentia prius,& poſtea fiunt in actu,& agunt,& patiuntur, ibi reperitur potentia recipiens,& actus agens:ſic analogia quadam,& ſimilitudine,in operibus animæ neceſſe eſt has eſſe differentias potentiam , & actum. Eſt itaque intellectus agens differentia animæ noſtræ,vt operatur;& huius cauſa,conſultò differentiam,& non partem dixit , de intellectu autem potentia,eum eſſe animæ partem dixit,qua anima intelligit,& ſapit,ſed multa Ariſtotel. dicta quibus in explicatione intellectus in actu vtitur vel maximè,non eſſe animæ noſtræ partem apertè indicant. Primum comparauit illum arti, quia vt ars in aliud extrinſecum agit:ita intellectus cùm ad intelligibilia ſe conuertit,ad intellectum potentia ſe extendit; formans eum,ac faciens intellectum actu . Cõparauit etiam habitui,dicens eſſe quendam habitum : Cúmque non eſſet vere habitus : ſed, vt intelligibilibus cõmiſcetur,dicitur habitus quidam; vt explicatius rem declararet , exemplo luminis nobis aperuit, non eſſe aliquid animæ: Lumen enim ad opus videndi vim quidem habet,non tamen ad eſſentiam colorum quicquàm confert,vt iam ſæpius dictum fuit libro ſecun-

do de Anima. Rurſus, lumen eſt ſuperior, & nobiliſsima qualitas ab æterno corpore luminoſo emiſſa, atq. ſuperior facultate videndi, huic igitur lumini proportione reſpondet intellectus in actu, quia cùm ad hæc intelligibilia progreditur, propter actum intelligendi nobis accedit, longè ſuperior intellectu potentia. Ex his ergo conſtare poteſt, quantum hæc noſtra interpretatio verbis, & Ariſt. ſenſui adrideat, non addictis punica perfidia in aliorum ambagibus. Neque affirmandum cenſeo, intellectum potentia eſſe partem animæ, qua anima conflatur: quemadmodum, nec lumen eſt pars oculi, licet ad actum videndi apprimè cõducat. Eodem pacto in ipſa facultate videndi, ac ſentiendi, ſenſus agens non eſt pars animi noſtri, vt multi rudiſsimè ſenſerunt, nempe ſenſus eſt potentia ſenſibile, & ſenſibile eſt actus ſenſus. Verùm cùm ſenſus tactus ſit omnium craſsiſsimus, ad vſum tãgendi ſufficiens eſt qualitas quæ tactum afficit, & medium connatum animali, puta caro: facultas verò videndi, cùm ſinceriſsimum conſtituat organum, quale eſt cryſtalloides humor, ſincerius quoque medium, & actum deſiderat ad functiones obeundas non enim ſatis eſt color: ſed lumen neceſſe eſt intercedat. Quare quanto ſentiendi facultas ſincerus habet organum, tanto magis extraneum requirit medium, puta oculus lumen, diaphanum medium, auditus, aërem; olfactus, craſsiorem aërem; guſtus, aquam: Tactus autem, cum ſit ignobiliſsimus omnium, non requirit aliud medium præter conatum. Non eſt itaque ad ſentiendi vſum vtilis, præter medium, aliquis ſenſus agens, ſed quia intellectus potentia eſt longè nobilior omni ſentiendi virtute; quàm maximè videbatur neceſſarium, ad hoc vt intelligibilia rerum materialium perficiant, &

compleant intellectum potentia, fiatque intellectus perfectus, vim quandam cōſtituere, qua ipſum intelligere abſolueretur. Ad hoc quidem opus, quoniā nec corpus, nec vis, & qualitas corporea deſiderabatur, cùm, & ipſæ res materiales ſint, operæpræciū erat abſolutiorē ſubſtantiam ponere, & à rebus materiatis liberam, ſuperioremque intellectu potentia, ac ſubſtantiam actu ad hoc vt intelligeret. Congruum igitur erat, vim quandam diuinam diſſeminari, & inſpergi materiatis rebus, qua res fierent intelligibiles: quam quidem virtutem Ariſt. vocauit ſubſtantiam ſeparatam, & æternam; Alexander, Deum; complures intelligentiam orbem Lunæ agitantem. Poſteriores crediderunt eſſe intelligentiam infra Cœlum hominibus deſtinatam, vel ad eſſe, vel ad intelligere neceſſariam: ſed ratio in Alexandrum adducta ſuperius omnes vehementer torquet. Si enim Deus, vel alia intelligentia nobis accederet ad ipſum intelligere formandum; quomodo conſtabit cum aliis Ariſt. fundamentis, qui pleriſque in locis: quicquid Deus, ac Diuinæ mentes infra Cœlum circa hunc mundum inferiorem operantur, per motum, ac lumen Cœli, id apertè operari probauit. Qua igitur ratione homini illabitur, ſine vllo alio motu, Deus, aut mentium ſupernarum aliqua, difficile intellectu videtur. Sed hunc nodum ita diſſoluimus. Cœlum, quod à Deo motu circumducitur, in hoc mundo, qui eſt circa terram, virtutes vt decet materiam, communicat omnibus corporibus corruptioni obnoxiis, alterando, quibuſdam nobiliorem formam, aliis ignobiliorem præſtans. Sed intellectui potentia, qui eſt veluti inſtrumentum animæ, non motu, & lumine formas, & intellecta reponit; verùm, vt eſt intellectus actu, materialibus in-

telligibilibus, quaſi inſtrumentis, quibus in intelle-ctum potentia operatur, diſpergit vim quandam, qua intellectus potentia perficitur, & illa fiunt intellecta: hanc virtutem Ariſt. vocat ſubſtantiam in actu, quam ſemper Deus præſens rebus, vt ab intellectu potentia recipi intelligibilia poſsint, elargitur, & quemadmo-modum dicimus, lumen eſſe ſubſtantiam Solis, quod nobis Sol ſemper præſens eiaculatur, quamuis ſit acci dens, ſimiliter vis illa eſt ipſe Deus, quæ ipſo præſente diſſeminatur in formis materialibus. Quo fit, vt homi ne interempto non reminiſcamur, nec intelligamus, quamuis Deus qui nobis preſto eſt, ſit æternus; quia intellectus paſsiuus, id eſt, intellectus potentia reci-piens ſpetiem, aboletur. Nec temerè vocauit modo intellectum potentia paſsiuum; ſed vt illum diſtin-gueret ab intellectu, quem paulò ſuperius dixit acti-uum. Ipſe autem intellectus in actu, nulla labe, nulla-que mutatione afficitur, non ſecus quàm cum oculi hominum priuantur videndi acie, lumen nullum ex hoc oculorum affectu detrimentum accipit. Quòd ſi requiris cauſam, cur ſemper non videmus; in prom-ptu eſt, quoniam videndi facultas marceſcit, aliquo in terius corrupto, puta ſubiecto, & organo. Igitur in-tellectus actu, qui intellectui potentia, & ipſis intelli-gibilibus commiſcetur, nullam patitur labem; ſed intellectus paſsiuus, qui eſt facultas animæ connata, marceſcit, quia ſubiectum, & anima ipſa aboletur. Ex his ſic explicatis, iam rationi ſatisfieri poteſt, quare Deus omnia; quæ huic mundo inferiori elargitur, motu, ac lumine tribuat, hoc enim intelligendum eſt de formis, ac virtutibus, quæ in materia naturali reci-piuntur: ſed virtutem in ipſis rebus diſperſam qua res fiunt intellectæ; materialibus, veluti in ſubiecto non

recondit

recondit Deus:ſed fiunt intellectæ ab hac virtute, vt in intellectu potentia reconduntur. Quare proloquiũ illud aſſumptum, de qualitatibus, ac virtutibus, quæ in materialibus recipiuntur, procul dubio intelligi debet. Porrò quoniam phantaſmatibus nihil imprimitur, ſed hac virtute commodè recipiuntur in intellectu potentia; dicimus eam eſſe ſpiritualem ſubſtantiam, ac virtutem. Vnde forte, qui eundem eſſe intellectum agentem, & poſsibilem ſuſpicati ſunt, ob id ad hoc credendum inducti fuerunt, quòd ipſe Deus videtur præbere aliquid intellectui potentia, nobis innato, vt facilius fiat intellectus in actu, quod certe dicere, nullum eſſet incommodum. habes igitur illud, quod ſæpe philoſophi explicatum deſiderarunt.

Ariſtotelis uerba è libro duodecimo Primæ Philoſophiæ examinantur. Cap. XXII.

VBi Ariſt. docuiſſet formas non præcedere compoſita: quærit, an aliqua remanere poſsit? cui dubitationi hoc pacto reſpondet. Si autem aliquid poſterius remanet, conſiderandum eſt. in quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale eſt, non omnis; ſed intellectus: omnem namque fortaſsis impoſsibile eſt. Ex hoc Ariſt. loco, Latini philoſophi duo colligunt; primum, animam hominis non defecturam, quòd dicat remanere poſt. Deinde, illam non eſſe vnam; quemadmodum Auerroës cenſuit, quoniã antè corpus præceſsiſſet, quod aduerſatur Philoſopho, qui formas non exiſtere ante probauit. Cum igitur remaneat intellectus, & non præcedat ſine cunctatione intellectum à Deo creatum affirmandum putarunt. Verum, vt ſuperius oſtendimus, hæc interpræta

tio vniuerſæ Ariſt. philoſophiæ reluctatur: probatum enim eſt libro primo de Cœlo, omnia orta occidere, & quę nõ ſunt defutura nec orta quidem eſſe. Animã igitur principium ortus habuiſſe, & non deficere nõ eſt Phyſicum decretum, nec à philoſopho Peripatetico probatum. Quidam craſsioris ingenii, & minoris eruditionis, his verbis ſe ſatisfacere poſſe opinantur vt partes Auerrois defendant, cum dicunt, intellectũ duas pati rationes: vnã, vt eſt noſtra forma, quamque obtinet, quandiu nobis vnitur: Alteram, vt eſt intellectus. Aſſerunt igitur, intellectum remanere poſt, vt eſt intellectus: ſed deſinere, vt eſt ratio formæ, corrupto enim Socrate, intellectus non eſt amplius forma Socratis. ſed hanc reſponſionem ſuperius refutauimus, quippe quia ad relationem non terminatur corruptio. Præterea propoſitum eſt philoſopho probare, rem ipſam, quam formam dicimus, non præcedere illud, cuius forma eſt pars, quare, cum dicit intellectum remanere, loquitur de ipſa re, quæ eſt forma intellectiua, nullo igitur modo de habitudine differit Ariſt. Proinde expedit hoc pacto verba philoſophi explicare: quòd hic Philoſophus, vt Platonis ſententiam, qui ideas, formales, ac efficientes cauſas rerum eſſe exiſtimabat, è medio tolleret, inquit. hæc non poſſe ſimul ſubſiſtere, quòd vnam et res ſit forma, & mouens, ad vnum & idem comparata: & rationem ſubiicit, mouens enim motum præcedere neceſſum eſt: ſed formam ſimul oportet eſſe cum compoſito, cuius eſt pars porrò ſimul eſſe & præcedere, nullo pacto conueniunt, tacitæque difficultati, quæ iis dictis ſe ingerere videtur, occurrit: quaſi ex communi hominum cõſenſu conſtet, aliquam animam remanere pòſt, quare formam non ſemper ſimul eſſe cum compoſito. Cui ſa-

tisfacit dubitando, quia res non erat apud omnes certa, nec ei explicandæ hic erat idoneus locus, & inquit an aliquid poſt noſtrum obitum remaneat, ſuo loco conſiderandum eſt; hoc tamen interim certum eſt nō omnem animam ſuperſtitem eſſe, vt vegetalem, & ſenſiuam: ſed ſi aliqua ſupereſt illa erit intellectus. Et in confuſo modò accipit intellectum, non explicans, an de vero intellectu, qui eſt intellectus in actu, vel de intellectu potentia loquatur: quoniam hic non erat vt dixi, aptus locus, atque ea propter dixit eſſe conſiderandum: quoniam ſcilicet nomen intellectus ambiguum ſit, ex his igitur, quæ obiter Ariſt. proferens interſerit, non eſt affirmandum aliquid: ſed colligenda eſt authoris ſententia ex his, quæ propriis locis depromſit; puta ex libro tertio de Anima, vbi de intellectu ſuam mentem aperuit. Quapropter quæ Auerroës in enarratione huius loci effutiuit, ſunt ab Ariſtotelis ſenſu aliena.

Quædam ex libris Ethicorum expenduntur. Cap. XXII.

LIbro primo Ethicorum in dubium vertit Philoſophus, an poſt mortem fœlicis, ſi ſuperſtitibus filiis, nepotibus, vel amicis, aliquis eorum infœliciter vixerit, huius infœlicitas minuat mortui fœlicitatem, videbatur enim aliquid nocumenti afferre, huic ſatisfacit Ariſt. quòd nihil in defunctis mutatur, vnde aliquid ſupereſſe poſt obitum ſentire videtur: quandoquidem vana eſſet hæc dubitatio, niſi aliquid poſt obitum remaneret, cui aliquid detrahendum, vel addendum eſſet, ſed qui ſuperiora verba Philoſophi perpendet hæc in dubium nō reuocabit, nam

quia ſupra poſt obitum,tam fœlicis,quàm infœlicis nihil relinqui,niſi hominum opinionem atque memoriam in quibus reſtat fœlicitas, vel infœlicitas iam defuncti dixerat: ob id nunc quærit, an huic opinioni hominum,in qua viget fœlicitas defuncti,ne potum, vel filiorum ſuperſtitum fœlicitates,aut infœlicitates demant aliquid vel addant. Reſpondet autem, quòd nihil neque detrahitur,nec opinioni de ſua fœlicitate accedit. Quare totum ad opinionem referendum eſt, non autem ad aliquod, quod poſt obitum remanſerit; cum nihil præter intellectum agentem ſuperſit.

Rationes Auerrois ſoluuntur. *Cap.* XXIII.

AVerroës in interpretatione tertii libri de Anima, opinatur tria propria quæ intellectui potentia ab Ariſt.tribuuntur,nempe eſſe immixtum,impaſsibilem,& ſeparabilem; non poſſe accommodari niſi ſubſtantiæ æternæ,quaſi ſi intellectus potentia eſt immixtus,impaſsibilis,& ſeparabilis,procul dubio ſit æternus,ſed ſuperius iam diximus hæc cõuenire intellectui prout cum ſenſu, & vegetali virtute confertur, quoniam nulla actio corporalis cum ipſo intelligere ſpeculatiui communicat. Hæc tamen non aſtruunt ei æternitatem, requiritur enim,quòd inſit aliqua actio æterna, quarum nulla conuenit intellectui potentia. ipſum enim intelligere marceſcit, & quamuis intelligere ipſum, ſit opus diuini: attamen non arguit æternitatem,niſi modus intelligendi intellectus æterni accedat, qui profectò intelligendi modus,longè noſtram intelligẽdi rationem ſuperat;cùm noſtra hæc,nihil niſi imaginem quandam intelligendi illius referat, nam, vt octauo de Hiſtoria animal. dixit

dixit Philoſophus, in plurimis animantibus ratione carentibus eſſe veſtigia morum animi humani: ita in nobis eſſe veſtigia quædam, & fortaſsis obſcuriora, intelligendi intellectus æterni cenſendum eſt. Et quanquam intellectus agens, vt nobiſcum vnitur, & vt dicitur agens in nobis, nullam actionē habet æternam; tamen in Prima philoſophia, & octauo lib. Phy. aſſeritur eius æternitas ob motum inceſſabilem, & æternum. Porrò cum vlterius obiicit Auerroes, non poſſe hæc tria de facultate intelligi. Dicendum quòd Philoſophus hæc, non profert de Anima, vt eſt ſubſtantia, vel accidens; ſed de facultate animæ, vt eſt potentia cognoſcens, & hac ratione eſt immixta, quia cognoſcit ſine organo; eſt impaſsibilis per ſe, quia ab obiecto non patitur vt eodem libro tertio ipſe declarauit: denique in operatione quæ eſt intellectio, non communicat cum aliqua actione corporea, & ſic ſeparabilis eſt. Quare ratio Auerrois nulla redditur cum dicit quòd hæc conueniunt accidenti, & omni priuationi. Dicas enim licet, quòd Ariſt. non tribuit hæc tria prædicata intellectui, vt eſt ſubſtantia, aut qualitas; ſed vt eſt facultas cognoſcendi, & hac ratione nulli alii facultati cognoſcendi (quæ quidem in nobis eſt) conueniunt, præterquam intellectui; & cum intellectu potentia ſolum hæc reciprocantur. Ridicula quoque eſt illa Auerrois ratio, quòd ſi anima, & intellectus potentia ab agente naturali produceretur, ex neceſsitate materiæ proficiſceretur. Dicas enim, quòd corpus ſumme temperatum ſortitur nobilem animā, verùm cauſa finalis eſt ipſa anima, quia generatio eſt talis propter talem formam, & non commeat, quòd anima ſit propter generationem, quod tamen concluderetur, ſi neceſsitatem materiæ ſequeretur. Et quam

uis ſint ſibi inuicem cauſæ, & concauſæ materia, & forma: prius nihilominus forma dicitur cauſa, quàm materia cum ſit perfectio, & finis materiæ, vt nos docuit Philoſophus lib. I I. Phyſicæ auſcult. & primo de Partibus animalium.

Latinorum & Philoponi rationes diluuntur. Cap. XXIIII.

PHiloponus animam non eſſe corruptibilem, hoc argumento perſuadere niſus eſt, quoniam non habet contrarium. Sed ex his, quæ ſuperius ex Ariſt. libro de Longitud. & breuitate vitæ, diximus dicendum eſt, animam eſſe ex eorum claſſe, quæ non habent contrarium: atque iccirco non per ſe, ſed merito ſubiecti, quod informat, euaneſcit: habet tamen priuationem, quæ mutationibus omnibus neceſſario adnectitur, vt lib. I. Phyſ. dictum eſt. At verò ſi ratio Philoponi alicuius eſſet vigoris, formæ ſubſtantiales omnes incorruptibiles eſſent, quin & ipſa quantitas, quando quidem negauit Ariſtot. hæc habere contrarium. Alteri de hinc argumento, & Ioannis Grâmatici, & Theologorum, quo aiunt animam hominis determinare ſeipſam, & conuertere ſe ad ſui cognitionem, atque à materialibus abſolui, quare æternam fore: ſatisfaciendum, quòd determinare ſeipſam vt ipſi loquuntur, contra ſenſum non poteſt ſecundum Philoſophum, niſi propter aliud obiectum, quod fortius mouet noſtram voluntatem, & niſi ipſa ratio futurum præſentiret, numquam reluctaretur ſenſui, ob id quòd obiectum ſenſus præſens ſit, & valide moueat. Verùm obiectum futurum aliquando timorem incutit, vel ſpem; quo fit, vt voluntas reluctetur ſenſui. Non igitur poteſt anima determinare ſeipſam, ſed re

quiritur alicuius obiectimotio, vt libro noſtro, An homo volens fiat bonus vel malus explicauimus. Quinetiam intelligere ſeipſam, & à materialibus abſolui haud quaquam æternitatem denotat: ſed ſolùm habere operationem cum qua operatio corporalis non cõmunicat, cum non habeat organum, nec per qualitates corporeas operetur. Hæc quidem actio eſt ſimilis actioni æternorum, non tamen eſt actio æterna, ſed marceſcit, & ipſa, vt ſuperius patuit, nec item abſoluitur ab obiectis materialibus; quoniam ab obiecto materiali, omnis ſpeculatiua cognitio pendet, ſemperq. cum phantaſia, veluti cũ ſuo comite operatur. inquit enim Philoſophus intellectum, aut phantaſiam eſſe, aut non ſine ipſa operari. Quò fit, vt libro tertio de Anima etiam phantaſiam eſſe ſeparabilem ponere videatur. Cæterùm caue ne in illorum errorem incidas, qui intellectũ abiunctum à phantaſia, Deũ intelligere putant; quoniam omnis cognitio, vt tertio de Anima probauimus, quam de Diis nos conſequimur, proficiſcitur à ſenſibilibus imaginatis, à quibus rationes vniuerſales petit intellectus, puta cum cognouerimus in mundo motum ſempiternum eſſe, neq. vnquam defecturum, aut nouum fuiſſe: hinc mens colligit, oportere aliquam cauſam mouentem eſſe immobilem & æternam. Hæc igitur prædicata propria, immobile, & æternum, quæ de Deo conſecuti ſumus, haud quaquàm intellectus aſſecutus fuiſſet, niſi primum ea in motu, veluti in effectu, cognouiſſet. Et vt dicimus de æterno, & immobili, idem intelligas de omnibus aliis: quamuis enim iſta acquiſitio, ſit actio propriè intellectus; tamen ab ipſis ſenſibilibus ad cauſas, & principia defæcando ducit. Atque hoc eſt quod ſibi volunt Latini, cum aiunt, quòd Deus, cæteræque

intelligentiæ,per conceptus aggregatos cognoſcitur vt in Prima philoſophia alias declaratum fuit. Longius fortaſſe quàm oportebat hanc reſponſionem pro duximus, ſed Simplicius fuit in cauſa, qui vt Platonem ſequeretur, multa de cognitione intellectus ab Ariſtot.abhorrentia effutiuit. Cæterum ratiocinantur tertio,intellectum potentia æternum eſſe,quoniã homo,præter cætera animalia,habet liberam arbitrandi facultatem.Cui ita reſpondendum eſt,quòd iſta libertas cum indicet potentiam,& à priuatione proficiſcatur potius mutabilitatem ſignificat, quæ eſt propria mortalium. In Deo enim, & in cæteris æternis mentibus,non eſt iſta indifferentia, nec opinionum mutatio: ſed vt ſunt puri actus, ita ad vnum ſemper ſunt determinatæ.Non igitur premit nexus hic, intellectus,& voluntas ſunt indifferentes,& ambigunt inter duo,igitur ſunt immortales,quoniam illa indifferentia & ambiguitas ex naturæ noſtræ imperfectione,& imbecillitate oritur,hoc eſt ex intellectu potentia,atqui nulla imperfectio æternitatem demonſtrat. Quòd ſi cætera animalia ſunt imperfectiora homine, & hanc libertatem non habent,iccirco ea priuantur, quoniam non habent potentiam intelligendi, & volendi duo contraria,à qua vt iam diximus,hæc libertas in homine naſcitur. Sed hæc explicatius leges in opuſculo, An homo volens fiat malus. Succedit,& aliud argumentum.Intellectus noſter ſumme appetit Deum cognoſcere, igitur eſt immortalis. Dicas, vt Ariſt. X. Ethicorum reſpondit dicentibus, nos cum ſumus mortales, mortalia debere curare,quòd quanquam ſumus mortales,opere tamen intellectus,quantum in nobis eſt immortales fieri conamur.Siquidem homines natura cognoſcere deſiderant,cumque à ma-

ximo,

ximo intelligibili magis perficiantur, longè maxima intelligibilia proſequimur, licet vix quicquam illorũ attingamus. Suauior enim eſt exilis illa cognitio, quã exquiſita de elephanto ſcientia, vt Ariſt. lib. I. de Partib. animal. ſignificauit. Non igitur, quia intellectus noſter ſumme deſiderat cognitionem Dei, iccirco eſt immortalis: quoniam inſitum eſt naturæ hominis, cognoſcere quod eſt ſummum intelligibile, atque id, non ex æternitate naturæ: ſed potius ex imperfectione, & imbecillitate proficiſcitur, cum perfectionem deſideret, quippe Deus extra ſe ipſum nihil deſiderat cum ſit ſumme perfectus: deſiderium enim, & appetitus, vt philoſophi aſſerunt, ex imperfectione oritur, ſummè igitur appetere cognitionem Dei, ſummam imperfectionem arguit. Sed ſi huic adderetur, ſumme appetit, & ſumme conſequitur, forte optimum eſſet argumentum ad adſtruendam æternitatem. Atqui intellectus modicè comprehendit Deum vt diximus; nec ſemper modicam illã cognitionem obtinet, quia paruo tempore durat, vt docuit Philoſophus lib. XII. Primæ philoſophiæ. Sunt, qui arguant, ex eo quòd in ſe ipſis experiantur, appetitum vt ſemper ſint, intellectum, & animam hominis eſſe æternam. Sed his eſt dicendum, quemadmodum Philoſophus tertio libro & hic: & in libro Magnorum moralium: quòd appetitus & voluntas non modò poſsibilium: ſed impoſsibiliũ aliquãdo eſt, vt exemplo nobis explicauit eodem lib. I. Magnorum moralium. cupimus namq. eſſe immortales, & cum immortalitatem expetimus, impoſsibile deſideramus. Quòd ſi noſter animus eſſet æternus, cum homo maxime ſit ſua anima; non modo homini non eſſet impoſsibile; ſed iam immortalis eſſet. Quantum autem hæc valeant, vel nuper initiatus in Philo-

ſophia iudicet. Quod ſi cauſam efflagitares, cur ita ardenter expetamus viuere: tibi Anaxagoras ſatisfaciet qui iuſsit hæc percunctanti Cœlum, mundumque totum, atque eius conſtitutionem, & ordinem contueri. Quod interpretatus Ariſt. lib. I. Ethic. ad Eudemum inquit; Anaxagoram ſentire vitæ cupiditatem non niſi ob ſcientiam alicuius laudabilem eſſe, attamen inſcii, & rudes, non eo conſilio vitam expetunt, vt ſciant: ſed cum nullam aliam fœlicitatē agnoſcant, niſi quam ſenſu percipiunt, propter voluptates ſenſuum vitam appetunt. Leui denique admodum ratione nonnulli, hanc immortalitatem perſuadere conati ſunt, cum inquiunt, dari formam materiæ penitus cōcretam, & reperiri formam a materia prorſus abſtractam, quales ſunt intelligentiæ: quare repertum iri formam mediam, quæ interdū ſeparata, & interdum concreta erit. Quoniam, vt philoſophi ſentiunt, nulla eſt natura media inter concretam, & abſtractam. Siquidem eſſet res ipſa abſtracta à materia, & cum ea concreta, quod nullus intellectus cape re poteſt. nam alio modo intellectus ſecundum rem orirur in materia, & ſecundum actionem ſeparatur ab actione corporea, velut iam ſupra docuimus. Atque ad hanc naturam inueſtigandam, omne ſuum ſtudium contulit Ariſt. Hæc ſunt, quæ da humana mente ex ipſo Ariſtotele probanda putamus; quæque non eo cōſilio ad te mittimus, vt cum Latinis de ea diſſeras; verum vt inſtructior cum Græcis philoſophis congrediaris: Atque vt hæc lucubratiuncula ſit tibi Lesbiæ, aut Polycleti regulæ inſtar, qua ad Ariſtotelis verborum ſenſum componendum, comformandumque apte vti poſsis.

FINIS.

Digitized by Google